

millia. Quamdam vero turbam sacerdotum obedire A ad dei persuaserunt.

XXII. Interea vero dum omnia supra dicta fierent, dimisit Dominus omnes gentes ingredi vias suas, et diversissimorum errorum opinionibus impleri; ita ut quidam solem et lunam et stellas, ministeria videlicet humanis usibus attributa, divinis honoribus celebrarent. Alii vero majore dementia capti, non solum aurum et argentum, sed et ligna et lapides, quadrupedia, serpentina seu volatilia, et ipsa terræ virentia, pro Deo auctore venerarentur. Tandem ergo pius creator omnium, quando et nos ipsos ad inventionem et pessimorum actuum nostrorum pigere deberet ac tædere, direxit ad nos apostolos suos qui docerent nos ab his vanis converti ad Deum vivum et verum, et expectare Filium B ejus de cælis, et in perceptione Spiritus sancti quem in Christo regenerati percepimus remissionem peccatorum consequi nos crederemus.

XXIII. Hujus igitur legationis nos indigni nostris temporibus vicem gerentes, obsecramus pro Christo, ut sicut quondam in baptismo, ita semper abrenuntietis diabolo et omnibus operibus ejus, et omnibus pompis ejus; et cognoscatis unum verum Deum Patrem semper in cælo regnantem, et sempiternam Sapientiam ejus in tempore pro nobis incarnatam, et sanctum Spiritum æternæ pignus salutis in hac vobis peregrinatione concessum; atque ita vivere curetis, sicut Dei filios decere cognovistis, devitantes gulæ concupiscentiam, et ebrietatis insaniam, fornicationis immunditiam, avaritiæ idololatriam, C iræ vesaniam, tristitiæ nebulam, tædii rancorem, invidiæ rubiginem, inflationis inanitatem, superbiæ subversionem; et nullus cuilibet Christiano furtum

^a *Fudæ. B. snag. edi. io, perperam, fæde.*

aut homicidium, vel convicium conferre, aut falsum testimonium de qualicumque crimine præsumat inurere; sed sitis invicem benigni, et donantes vobismetipsis, sicut Deus donavit vobis peccata vestra. Et delicta præterita pœnitentiæ remediis vel eleemosynarum largitate redimentes, imminetia cum Dei adjutorio præcavere studeatis. Scientes et diem generalis judicii jam jamque proximare, et incertam singulis exitus sui horam impendere. Et quidem magni judicii novissima dies cunctis est mortalibus expavescenda, ut puta in qua nihil incorrectum absque æternali pœna remanebit iunctum.

XXIV. Sed non minus cunctis sapientibus quotidianum Dei judicium formidandum est, quo et quosdam probandos dispensatorie reliquit in mundo ad tempus, quosdam vero his juste condemnatos obliviscitur in perpetuum. Alios quoque diu jacentes in criminibus manu misericordiæ suæ levat: alios autem de peracta justitia præsumentes ^a fœdæ quondam passioni concedit: hos vero quocumque verbere coercitos usque in finem ab omni prorsus scelerum labe custodit. Quocirca sub his Dei judicii unicuique in hac vita metuendum est, ut in futuro judicio ab omni metu peccatorum et mortis absolvi mereatur. Deus omnipotens, qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire (I Tim. II, 4), qui hæc per ministerium lingue nostræ auribus vestræ fraternitatis infudit; ipse per gratiam suam eadem in cordibus vestris fructificare faciat, cooperante Domino nostro Jesu Christo, et Spiritu paraclito. Benedictus Deus in sæcula. Amen.

APPENDIX.

EPIGRAMMATA SEU HYMNI SACRI

ANTIQUORUM PATRUM MONASTERII S. GALLI,

BERNARDI, COLUMBANI, ECKERARDI, HARTMANNI, NOTKERI BALBULI,
NOTKERI MEDICI, RATPERTI, STRABI GALLI FULDENSIS,
TUTELONIS, WALDRAMMI, ANONYMORUM;

A CANISIO PRIMUM EX VETUSTISSIMIS MS. CODICIBUS SANCTI GALLI EDITA.

CANISIUS AD LECTOREM.

Illustrium virorum monasterii Sancti Galli sacra carmina ubi vidi, digna censui luce, tum ob eruditionem, tum ob pietatem, et vel maxime propter venerandam antiquitatem. Ejusdem judicii fuit nobilissimus Marcus Velserus, qui in litteris quibusdam scribit, hæc sacra carmina sibi apprime placuisse, ita ut interdum pene lacrymas excusserint, antiquam

pietatem cum nostris temporibus conferens, ita enim loquitur Velserus. Debemus hæc carmina R. P. Jo- doco Metzlero, monasterii Sancti Galli professo, et sacrorum canonum doctore, qui misit libellum ms. quem studio et amore antiquitatis conscripsit, vocatque Memoriale illustrium virorum Sancti Galli, in cujus prima parte illustres sanctosque viros ejusdem

monasterii, n̄ secunda abbatē compendio describit ex variis auctoribus, nec non ex m̄s. antiquis monumentis, cujus libelli beneficio usi, hinc inde quaedam excerptimus, et addidimus, ut quis quisque fuerit, facilius pateret. Tertia vero pars continet sacra carmina, quæ quanta fide ex m̄s. Codicibus deprosp̄erit, patet ex præfatione illius, quam præmisit, ideoque hic eam subjunximus :

IN HYMNOS SACROS DIVI GALLI PATRUM PRÆFATIO
JODOCI METZLERI.

Minimam hanc et veluti extremam partem, hymnos videlicet sacros, ex innumeris quæ antiqui Patres Sancti Galli monachi sapienter dixerunt, et suaviter decantaverunt, vel ideo descripsi, ut et mihi mnemonymon aliquod conficerem, et ut quæ ob educem temporis injuriam saltem secundum aliquam sui partem videbantur brevi quasi peritura, ea hac opera mea vel aliquantulum servarem; et demum ut quæ adeo erant disjecta et dispersa, in unum quasi corpus redigerem, atque adeo hunc libellum tertium veluti in exemplum statuerem eorum quorum superioribus duobus sæpius memineram. Unde nihil penitus hac intrinsecum est, quod non esset jam olim venerationis titulos consecutum, vel ex auctoris sui fama, vel ex bonitate et antiquitate sua. Certe ipsos Codices, ex quibus descripta

sunt ista, ante annos 500, 600, 700 et 800 esse descriptos scimus, et ex ipsis Codicibus, et ex antiquissimis librorum indicibus seu (ut appellant) registris, quibus certissimum testimonium tulit magnus ille Teresinus præsul Aeneas Sylvius, qui postea pontifex maximus renuntiatus, nominatus est Pius II, dum ad Greg. Hamburgensem jurisconsultum epistolam 120, lib. 1, sic scribit: Inventi apud Sanctum Gallum, quod Suevorum est oppidum, in veteri monasterio bibliothecam perveitustam, ubi et libros reperi ornatissime conscriptos, quorum auctores fuerunt Theotones. Hæc igitur cum ita sint, non offendetur lector quædam minus subtilitate levia, cum conspici rerum pondere esse gravia ea ipsa tam ubique; mirabitur vero aliquos saltem ex illis in ætate tam barbarâ tam bene luisse et tam Latine, et ubique meminere idem lector, cum omnia ista ad cultum divinum fuerint a Patribus dictata, magis spectari res quam verba, tantum musicam quantum prosodiam. Et si vero integra scripserunt aliqui hujus generis volumina, et ad seorsim etiam multi alii et hymni, et epigrammata, illa tamen describere non statui; hæc autem, quod nec scirem fuissent auctores ipsorum monachi Sancti Galli nec ne, huic opusculo inferre nolui. Ex Sancto Gallo 1600, die 4 Aug.

Hæc Metzlerus.

BASNAGII DE HIS CARMINIBUS OBSERVATIO.

Hæc poemata varios habent auctores: priora sunt Hartmanni. Reprehendit Canisium vir eruditus inter Anglos, quod illum Hartmannum, non Hartmutum appellaverit, qui fuit Rodulphi Burgundionum regis consanguineus, abbas Sangallensis post Grimoaldum anno 872 electus, quique post undecim annos munere sese abdicavit. Notat vir eruditus non modo carmina quædam edidisse, sed et Vitam Wiboradæ sub ejusdem nomine haberi sæculo Benedictino quinto. Sed an hæc vera sint dubito.

Primo distingui debet Hartmutus ab Hartmanno monacho. Sic enim Eckerhardus in Vita Notkeri (Cap. 15): *Temporibus Grimaldi canonici abbatis et Hartmotti conabbatis ejus*. Hic habes Hartmutum jam conabbatem Grimaldi, post cujus obitum factus est abbas sæcularis, ut furrat ipse Grimaldus archiepiscellanus Ludovici Pii. Ab eo dis inguuntur eodem capite bini Hartmanni, quorum prior *consilio magnus Litaniam sanctus humiliter prece texuit et Melodiam fecerat*. Hic commonachus Notkeri ab abbate interrogatus circa Salomonem episcopum, qui cappam monachalem indicere volebat quam ad fores claustrum deponeret, responsum fecit: *Regula nostra non similitudinem monachi, sed monachum quaerit*. Is fuit pro-abbas et tandem abbas post Salomonem. Alter Hartmannus Junior fuit poeta, operaque ediderat in Ecclesia canni solita. Versus qui hic colliguntur sunt Hartmanni Senioris, quanquam et aliqua Hartmanni Junioris potuerint cæteris inseri.

Secundo nec Hartmutus nec Hartmannus ille, de quo nunc agimus, Vitam Wiboradæ virginis scripsit. Tertius fuit Hartmannus, sæculo decimo desinente vel undecimo scriptor. Facile probatur ex ipsa Wiboradæ Vita (Sæc. Ben. v, p. 60). Eckerhardus ab Udalrico Augustano præsul impulsus, multa quæ de Wiboradæ audiverat scribere inchoavit senio jam confectus et gutta, ut loquuntur, hoc est, podagra miris modis vexatus. Illius Eckerhardi qui obiit an. 978 opus conficit aut descripsit Hartmannus. Vixit igitur tertius ille Hartmannus post Eckehardum, undecimo sæculo, a geminis Hartmannis qui sæculo nono poetice colebant plane diversus.

Quidquid sit, fuere in monasterio Sangallensi duo Hartmanni sæculo nono poetæ, qui præcipue hymnis et litanis exarandis studebant; senior Hartmannus ob eam rem præcipue laudatur.

II. Secundus inter poetas Sangallenses recenseri debet Rapertus, quem nescio qua ratione omiserunt litterati omnes qui Bibliothecas Ecclesiasticas his

temporibus ediderunt. Præfuerat ab adolescentia scholis Sangallensibus ita studiosus, ut missas et cursum sæpius omitteret, quippe bonas se missas audire dicebat, cum eas agere doceret (Eckerhardus, de Vita Notkeri, c. 21). Languidus circa claustrabat, nec tamen docere desinebat, inquit Eckerhardus, a quo Rapertus appellatur; nunquam ad capitulum nisi vocatus venit; cum puniendi munus ipsi demandatum est, impositam labem monasterii nominans, scripsit librum de casibus monasterii Sangallensis a temporibus Columbanii ad Salomonem usque, de quo inferius. Dictaverat litanias plurimas, quæ canebantur diebus Rogationum; inter eas autem principem locum obtinebat illa sæpius laudata: *Ardua spes mundi*, quæ hic apud Canisium cum cæteris legitur. Ubi mortem instare sensit, commisit animam quadraginta discipulis, qui tunc presbyteri ad monasterium festi causa advenerant: unusquisque ipsi triginta missas pollicitus est, et lætus obiit.

III. De Notkero cum superius egerimus, nihil hic dicendum esse offert. Distingui debent solummodo gemini Notkeri, quorum alter Balbulus, alter vero Medicus dicitur; amborum enim versus in hac collectione occurrunt.

IV. Poetas Sangallenses enumeramus non secundum temporum seriem, sed eo ordine quo dispositi sunt ipsorum versus in collectione Canisiana. Quintus igitur censeri debet Waldrammus. *Litteris eruditus et egregius Prædicator* dicebatur; quin imo poeseos et Melodiæ studiosus varia confecit carmina. Ipsi tribuebantur in Codice ms. versus Salomonis episcopi; errorem deprehendit Canisius, et accurate genuinos Salomonis fetus a versibus Waldrammi distinxit. Litanias etiam edidit, quæ hic leguntur. Dum versaretur in monasterio Sangallensi Wiboradæ virgini fuit amicissimus ipsique benedictionem per servulum sæpius transmittere consueverat (Vita Wiboradæ, c. 59, p. 51). Hoc munus compensavit virgo cum benedictum panem servo ministrans, tum ipsum ex ægritudine sanans. Waldrammo vero adventum Hungarorum ante annum revelaverat (Vita Notkeri, c. 20). Dum decanatu fungebatur in monasterio Sangallensi, Epistolas canonicas Græcæ, a Litwardo Vercellensi sibi præstitas, multo labore descripserat; sed nactus Codicem Sydulphi ipse etiam decanus, quem regulari disciplina subceperat, singulas quaternionum cultro excisas discepit. Transtulerat etiam Waldrammus Psalterium ex lin-

qua Latina in Barbaricam, quae versio diu servata fuit in Armario Sangallensi. Tandem ex monacho factus est episcopus Argenteratensis adfuitque concilio Tribariensi praesul anno 895; huic enim subscripsit *Baldrammus Straburgensis episcopus* (Conc., t. IX, p. 466).

V. Decem monachis in claustro Sangaliensi praefuit Eckerhardus ab eo plane diversus qui scripsit *Vitam Notkeri superius memoratam*. Scripsit hymnum de simplici confessore et aliquot versus ad Ymmonem fratrem, postea abbatem, qui noni vel decimi saeculi barbariem plane redolent.

VI. *Tutilo*, inquit, *bonus erat et utilis homo musicus, serio et joco festivus*. Itinerarius appellabatur, eo quod saepius e claustris excurrere solitus erat. Itinerarium Tutilonem ut se caveret amplexibus monebat Ratpertus ipsi conjunctissimus. Vixit ad finem saeculi noni. Ferunt ipsi apud Metenses pingenti Virginem ipsam manus et opem adjunxisse. Aliud de ipso narratur quod forsani lectori risum movebit: Sindulphus episcopo Salomoni devotissimus aures fenestras noctu admovebat, ut Notkerum, Ratpertum Tutilonemque familiari consortio utentes audiret, et si quid adversus Salomonem, quem odebant, excidisset, ab eo renuntiaretur. Illum cum sibi proximum sensit Tutilo, *homo pervicax, lacertisque confusus*, Sindulphum captum capillis et ad se attracto violenter tenuit, adhortatus Ratpertum, ut flagello totis viribus increpiteret et *Deum in illo ulcisceretur*. Praesto fuit Ratpertus ad disciplinas acutissimus et *hominem a dorso totis viribus ingrandiavit*. Manibus pedibusque cum reniteretur Sindulphus flagellum Ratperio excussit, qui confestim virgam e proximo rapiens *ictus validissimos ei infregit*. Exclamavit miser Sindulphus veniam incassum a Tutilone et Ratperio postulans: advolarunt

A fratres attoniti, quibus Tutilo diabolum se tenere ingeminabat, lumen addibere rogans, ut sub cujus forma vapularet diabolus posset inspicere. Cumque Notkerus et Ratpertus clam fugissent, ipsos diaboli metu abiisse angelumque Dei ictus manu sua Sindulpho imegisse dixerunt. Mirare, lector, monachorum jocos et astutias? Sindulphum flagello caesum ridebunt omnes; sed quis mendacia Tutilonis, eum tanquam daemone referentis, angelum ipsum manu propria flagellis et virga castigatum, quod Ratperio fuit opus, asserentem, facile patiat? Sic saepius angelos et daemones, qui viri fuerunt, se vidisse et vicisse fingunt monachi. Tutilonem inter beatos recensent et venerantur multi. De eo vide plura apud Eckerhardum in *Vita Notkeri*, c. 22, 23.

VII. Bernardus Secundus fuit abbas Sangallensis anno 883, nimirum eo tempore quo Hartmutus sese munere abdicavit, ejus vices subire fuit coactus. Praerat illi coenobio cum Patres *per meritum sancti Galli* jurare soliti se Salomonem absque monachali habitu intra claustra non passuros assererent etiam cum sacramento, consiliumque dedit ipsis in capitulo renitentibus, ut Salomonem habitum sancti Galli intra claustra sumere sinerent, ne si quando ipsi subjicerentur, durior foret; saltem satius erat illum abbatem ipsorum fratrem esse: quod bene cessit; postmodum enim abbas, deinde episcopus creatus est Salomon, ut mox patebit. De Bernardo nihil hic legitur praeter quasdam breves sententias numero 58 indicatas.

VIII. De Walafrido Strabone superius actum, quippe ante hos omnes nunc memoratos vixerat jamque diu clauserat diem supremum. Ceteri sunt anonymi; inde conclusas frequentem tunc temporis fuisse hymnorum usum.

EPIGRAMMATA SEU HYMNI SACRI.

Versus a HARTMANNI monachi Sancti Galli, Ante Evangelium canendi.

Sacrata libri dogmata
Portantur evangelici,
Cunctis stupenda gentibus,
Et praeferenda laudibus. Sacrata, etc.
Mundemus omnes corpora,
Sensusque cordis simplici
Purgantes conscientia,
Verba pensemus mystica.
Vultu declina pariter,
Clausa tenentes stomata [B., ora]
Stemas intentis auribus,
Ut decet ante Dominum. Sacrata, etc.

Quis fuerit Hartmannus, quem alii Hartmundum vocant, patet ex Trithemio, qui de luminaribus, sive illustribus viris, Germaniae habet: *Hartmundus monachus ejusdem monasterii Sancti Galli ordinis beati patris nostri Benedicti, Rabani Mauri quondam auditor atque discipulus (ad quem Otfridus Wissemburgensis monachus multis epistolis exercitavit ingenium), vir nudaque doctus, ingenio subtilis, eloquio disertus, vita et conversatione devotus, Graecae, Latinae, et Hebraicae peritus, adde et Arabicae non ignarus, scripsit tam metro quam prosa multa praecleara opuscula, sed nihil eorum ad notitiam nostrae lectionis memini pervenisse. Feruntur autem super quibusdam Bibliorum libris commentarii ejus non abjiciendi, item epistolarum ad diversos lib. 1, sermones quoque, cantus, hymni, et varii in Scripturis sanctis tractatus, quos studiosus quisque inquirat. Claruit temporibus Lotharii et Ludovici filii ejus imperatorum, anno Domini 870. Haec*

C Nec sat videtur sonitus
Auditu solo corpore,
Ni cor purgatum teneat
Factisque jussa compleat. Cunctis, etc.
Sic mandat ipse maximus
Magister, Summi Filius,
Sensus nostrorum pectorum
Arvis diversis comparans.
Sunt, ait, rura plurima
Quis semen frugis spargitur:
Censu sed multum dispari
Reddunt accepta fenora. Sacrata, etc.
Quaedam saxorum stramine
Replentur nimis pessimo:

D Trithemius. Ex libro Epistolarum abbatis Caspari, quem Metzlerus ms. legit, item ex Vita sancti Galli quam sanctus Notkerus carmine scripsit, patet Hartmannum fuisse discipulum sancti Notkeri, qui ibidem Hartmannum interlocutorem introducit. Meminit item Hartmanni Eckerhardus Junior monachus Sancti Galli ms. Testatur autem Metzlerus se hunc Hartmanni, caeterosque XIII hymnos transcripsisse ex vetustissimo codice ms. qui fuerit scriptus sub Courado I, II, vel III, non autem sub quarto. Quoniam jam multis saeculis ante illum (circa annum nimirum 1012) Guido abbas Aretinus, excogitaverat illas quibus hodie utimur notas musicas, quas et Ecclesia ubique receperat: quas tamen ms. Codex noster nondum habet, inquit Metzlerus. De inventis autem notis illis musicis vide Trithemium, de Viris illustribus. Ord. sancti Benedicti, lib. II, cap. 74. Caxis.

Frugemque necat maximus
 Ardor solaris luminis. Cunctis, etc.
 Quædam siccato germine
 Replentur spinis horridis.
 Viarum strata plurimis
 Officiunt seminibus. Sacrata, etc.
 Ast qui felices fertili
 Glebas fecundat germine,
 Illum lætantem cumulat
 Fructus laboris centuplex. Cunctis, etc.
 Sic voluntatis integræ
 Perfecta nitent opera,
 Terraque cordis optimi
 Contentum refert numerum. Sacrata, etc.

Ejusdem HARTMANNI de natali Innocentium, ad processionem.

Salve, lacteolo decoratum sanguine festum,
 Salvete, innocua corpora fusa neci.

Concinit, ecce, Deus, tibimet grex iste pusillus,
 Festivum laude præveniendi diem. Salve, etc.

In qua morte pia puerorum maxima turba
 Occidit, et victrix regna superna capit. Conci-
 [nit, etc.

Nam quod terrenum metuit disperdere regnum
 Impius immani rex feritate furit. Salve, etc.

Aud erat regem, quem cuncta oracula dudum
 Spondebant vatam virgine matre satum. Sal-
 [ve, etc.

Judaicæ gentis quem debita regna manerent,
 Hocque magos stella testificare nova. Conci-
 [nit, etc.

Nec mora, pestifera succenditur efferus ira,
 Dum sibi præripier regia jura timet. Salve, etc.

Mox jubet innocuam ferro prosternere plebem,
 Destinât atque neci corpora lacteola. Conci-
 [nit, etc.

Perderet ut Christum, dum nemo evaderet ipsum,
 Inter et innumeros perdere hunc puerum. Conci-
 [nit, etc.

Ejusdem HARTMANNI de eadem festivitate.

Cum natus esset Dominus,
 Turbatur rex incredulus,
 Magi tulerunt munera,
 Quos stella duxit prævia.
 Herodes rex interrogat,
 Quo Christus nasci debeat,
 Locumque dici flagitat,
 Ut hunc necare valeat.
 Adorant magi Dominum,
 Viamque carpunt aliam,
 Nec sævi regis impiam
 Ultra vident præsentiam.
 Tunc rex Herodes fervida
 Succenditur insania,
 Mandatque sterni millia
 Lactentium innumera.
 Completur sæva jussio,

A
 Mactatur omnis pusio,
 Ætatis bimæ parvuli,
 Vel infra subduntur neci.
 Mas omnis infans occidit,
 Quem novus partus protulit:
 Scrutatur, ah! cunabula,
 Ac ipsa matrum ubera.
 Quid furis, crudelissime,
 O carnifex et pessime?
 Hic solus qui requiritur,
 Impune Christus tollitur.
 Pectus tenellum rumpitur,
 Matrum sinus perfunditur;
 Sed lactis plus quam sanguinis
 De loco stillat vulneris.

B
 Salve, lactens exercitus,
 Flores sanctorum martyrum,
 Ad aram summi Numinis,
 Qui læti semper luditis.
 Nos vos laudantes pueros
 Semper juvate precibus,
 Vobiscum uti jugiter
 Possimus læti psallere.

Ejusdem HARTMANNI Litanie, ad processionem, diebus Dominicis.*

Humili prece et sincera devotione
 Ad te clamantes semper exaudi nos.
 Summus et omnipotens Genito qui cuncta creasti
 Æternus Christus, Filius atque Deus.
 Nec non sanctificans, dominator, Spiritus æternus,
 Unica Majestas, trinaque sola Dei.
 Ipsa Dei Genitrix, reparatrix inclita mundi
 Quæ Dominum casto corpore concipiens,
 Perpulsa radiis cum virginitate pudoris,
 Indignos famulos, virgo Maria, tuos.
 Angelici proceres, cælorum exercitus omnis,
 Æterno semper lumine conspicuus
 Agmine ter trino supero per sidera regno
 Laudibus æternum concelebrans Dominum.
 Petrus cum Paulo, Thomas cum Bartholomæo
 Et Jacobus sanctis nos relevent precibus.
 Andreas, Mathæus, Barnabas, atque Joannes
 Mathias, Lucas, Marcus et alisonus.
 Cælus apostolicus duodeno sidere comptus
 Accipitius cunctos protege nos famulos.

D
 Et quos multiplici lacerant per crimina pestes
 Peccata absolvens, fac bona cuncta sequi.
 Nunc Stephanus, Linus, Clemens, Anacletus et al-
 [mus
 Xistus, Alexander, Corneliusque pius,
 Hippolytus, Vitus, Laurentius, atque Modestus,
 Chrysogonusque pius nos miserando juvent.
 O vos martyrio decorati in nomine Christi
 Conspicui testes, purpurei proceres.
 Qui bello invicti superastis demonis iras,
 Conspirata manus vincere morte minas.
 Silvester, Damasus, Gregorius, Ambrosiusque,
 Hillarius, Zeno, Maximus, atque Leo.

* Has litanias canonizavit etiam Nicolaus III Pont. Max., et nostri in Rogationum diebus publice canunt, inquit Metzlerus.

Martinus, Proculus, Cæsarius, Eusebiusque
Orent pro nostris criminibus variis.
Ordo sacratus confessorum præcipuorum.
Auxilio tutos undique redde tuos.
Atque tua nosmet prece, dimittendo reatum,
Nos fragiles multum cladibus omnigenis.
Paulus et Antonius, Macharius, Arseniusque,
Pachumius, Beda, Aitala, Pafnutius.
Bertolfus, Libertinus, Basilius, atque
Hieronymus doctor, nos miserate precor.
Galle Dei summi miles fortissime Christi
Nobis nunc famulis auxiliare tuis.
Nil sic perspicuum poterit nos clara referr,
Ut decet in tali nunc patris obsequio.
Hic tibi perpetuis resonent concentibus ædes ;
Ossibus et sacris semper habetur honos.
Cum læti famuli celebrant hic festa benigni,
Laudibus iustantes nocte, dieque tuis
Dirige corda pius, et tempora dirige nostra
Atque dies lætos ducere da famulos
Ut semper valeant tibimet cantare quieti,
Te quoque cœlesti cernere luce poli.
O Dilecte Dei radians virtute corusca,
Sancte Othmare pater, junge preces pariter ;
Intercede pius, veniam poscendo misellis,
Aureque jam blanda carmina percipiens.
Summe Dei cultor, monachorum rector, et Abba,
O Benedicite, sacer, atque benigne pater.
Istud cœnobium, cœtumque tibi famulantium,
Nostraque sanctificans cuncta tuere simul.
Felicitas, Felix, Eulalia, Digna, Verena,
Peironellaque cum pia Perpetua,
Agnes, atque Agathe, Christiana, Euprepia, Tecla,
Euphemia, Regula, Eugenia atque Bona.
Virginitate chorus resplendens candidularum
Turba puellarum integritate nitens.
Quæ geminis gaudes pulchram decorata coronis
Laude pudicitiae, martyriique simul.
Omnes nunc sancti nostris succurrite lapsis
Et veniam cunctis ferte juvando malis.
Nam vestris precibus, petitis quæcunque rogantes
Annuit ipse pius, nilque negat Dominus.
Pacem perpetuam rogitamus prospice Christo,
Et sanæ vitæ gaudia longa diu.
Temperiem cœli tribuens, ut copia frugum
Omnibus exundet, ubere lætitia.
Agne Dei patris, qui mundi crimina tollis
Optata pacis munera dona tuis.

*Carmen Sapphicum cujusdam monachi Sancti Galli
anonymi.*

Christus ad nostras veniat camœnas,
Christus et vocem tribuat salubrem,
Christus et vitam vehat ad perennem
Se modulantes.

Audiat nosmet chorus angelorum,
Protegat nos plebs et apostolorum,
Patriarchæ Dei, simul et prophetæ
Vice perenni.

Martyrum turbas petinus serenas,

A Sanguinis palma, pretioque claras,
Vocis ut nostræ modulibus receptis
Gaudia præsent.

Nunc sacerdotes, monachosque claros
Ad preces nostras cupidi vocamus,
Nosmet ut semper foveant, et nostra
Pace suavi

Virginum dulces, nitidosque flores
Semper in nostro petimus favore
Esse præsentibus simul et fugantes
Noxia quæque.

Omnium sane rutilus piorum
Cœtus ad nostram vigilet salutem,
Invidum pellens rabidumque furem,
Munere Christi.

B Christe, nos servos miserare fidos,
Ob precem sanctæ nitidæque plebis,
Inter hos Magni meritum recordans,
Maxime Judex.

Per crucem sanctam, moderare nostram
Conditor vitam, tribuens quietem
Perditis culpa veniam rependens
Luminis auctor.

Pacis augmentum tribuas rogamus,
Utque salvemur pariter precamur,
Ac remittendi decus exhiberi
Te miserante.

C Ætheris blandos facilesque motus,
Frugis et largos remeare quæstus,
Regibus vitam, populisque pacem
Da, Pater orbis.

Præsuli nostro dominans faveto,
Huicque cœlestem tribuens honorem
Posthumerum Petri facito perenni
Laude beari.

Agne, qui tollis facinus reorum,
Conditor lucis, miserere nobis,
Christe, nos audi ; Patris alme Fili,
Kyrie, eleison.

Litanæ Anonymi cujusdam Patris sancti Galli.

Auxilium nostrum,	<u>XRS</u>	Vincit.
Fortitudo nostra,	<u>XRS</u>	Vincit.
D Prudentia et temperantia nostra,	<u>XRS</u>	Vincit.
Liberatio et redemptio nostra,	<u>XRS</u>	Vincit.
Murus noster inexpugnabilis,	<u>XRS</u>	Vincit.
Victoria nostra,	<u>XRS</u>	Vincit.
Defensio et exaltatio nostra,	<u>XRS</u>	Vincit.

Ipsi soli imperium, gloria, et potestas, per infinita
sæcula sæculorum. Amen.

Ipsi soli laus, honor, et jubilatio per infinita sæcula
sæculorum. Amen.

Ipsi soli virtus et fortitudo, et victoria per omnia
sæcula sæculorum. Amen.

XRS vincit, XRS regnat, XRS imperat. (*Tribus tri-*
cibus.)

Christe, audi nos. (*Tribus vicibus.*)

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

Item etiam anonymi alia.

Hunc diem.	ñ. Multos annos.
Hunc diem.	ñ. Multos annos.
Hunc diem.	ñ. Multos annos.
Istam congregationem	ñ. Deus conservet.
Istam congregationem	ñ. Deus conservet.
Istam congregationem	ñ. Deus conservet.
Annos vitæ	ñ. Deus multiplicet.
Annos vitæ	ñ. Deus multiplicet.
Annos vitæ	ñ. Deus multiplicet.
Feliciter.	Feliciter. Feliciter.

Versus a RAPERTI de festiuitate sancti Galli.

ANNUA, s. ncte Dei, celebremus festa diei,
 Qua pater e terris sidera, Galle, petis.
 Ecce dies populis micat hæc sanctissima nostris,
 Quorum tu princeps auctor ad astra meas,
 Finibus Occiduis abiens, succedis Eois,
 Dans lucem plebis dogmatis igne tui.
 Quæ tenebrosa fuit fidei nec luce refulsit,

* Placet hic verba Metzleri ascribere, quæ de Raperto et sancto Gallo observavit: Rapertus vir undequaque doctissimus, gravis et prudens, scholæ prouit in multos annos, adeo diligenter, ut nonnuquam missas et cursum negligeret, dicens: Bonas missas facimus, si eas docemus facere. Doctor planus et benevolus, disciplinæ asperior. Corrigit facultatem tenuit in capitulo. Disciplinæ et regularis vitæ tenax. Tantæ stabilitatis et solitudinis, ut toto anno non nisi unum par calceorum tereret. Excursus mortem, labem maximam claustrum impunitatem vocitans. Raro et præter fratres nunquam claustrum est egressus. Edidit litaniarum carmine: *Ardua spes mundi*, quam papa Nicolaus III canonizavit, et nostri patres solemniter in diebus Rogationum non sine affectu cantare consueverunt. Fecit etiam versus ad processiones, quorum aliquos vidi in bibliotheca. Hymnos de sancto Gallo: *Annue sancte*; de sancto Othmaro: *Festum sacram. Laudes, Omnipotens, ferimus*. Dictavit etiam varia ad suscipiendos reges, et alia multa. Scripsit et Chronicon monasterii graviter et erudite, quod a sancto Gallo usque ad Bernardum I, qui præfuit an. 88, sua videlicet tempora perduxit, quod ms. adhuc in bibliotheca quater servatur minimum. Composuit etiam rithmice lingua Germanica Vitam sancti Galli, quam dedit populo publice in Ecclesia cantandam, quæ per Eckerhardum Juniozem translata Latine exstat in vetusto ms. Codice, et a nobis nuper translata est in iambos. His igitur et similibus doctrinæ et virtutum studiis invigilans, tandem et ipse sanctus circa claustrum sancti Galli cum languidus iret, nec tamen docere desineret, xl discipulis quandam suis canonicis, tunc quidem presbyteris, loco propter festum advenientibus, animam suam singulis commisit: quorum quisque triginta missas obituro promisit. Sicque ille lætissimus Deum ut se diutius morbo coqueret rogans, panis nitidus factus, inter discipulorum manus in paradiso, ut credimus, transiit, anno, ut ego conjicio, 883; eo enim usque scripsit, pro quo Notkerus, cui cognatus fuit, et Tutelo, plus aliis dolentes, multæ fecerunt. Eckerhardus utrobique, Bruschius, Stumpfius. Hunc Rapertum Thuregiensem appellant quidam. Fuit alius item hic Rapertus nepos hujus, sancti Notkeri discipulus, et in dialogo de Vita sancti Galli post Hartmannum mortuum ejus interlocutor. Hæc Jodocus Metzlerus, qui de sancto Gallo etiam hæc habet: Sanctus Gallus electus et dilectus Dei famulus, primus terræ hujus et loci incolæ, multorum sanctorum monachorum pater hic

A Per te cœlestem cœpit habere diem
 Hic ubi nocticolæ tenuere cubilia larvæ,
 Ad laudem Christi psallit ubique chorus.
 Hic fuit ecce feris statio gratissima sævis;
 Nunc sedes sanctis te resonante manet.
 Tu pater huc veniens, fers tecum pacis honores;
 Hinc totum pellens quidquid adesse nocet.
 Expuleras nocuum, complens dulcedine totum,
 Quo corpus linquens, spiritus astra petit.
 En hodie meritum tu post certamina palmam
 Sumpsisti, Galli, protege nos hodie.
 Jam super astra nitens famulorum suscipe laudes,
 Qui tibi devoto nunc jubilant modulo.
 Aspice propitius venerantes nobile pignus,
 Corpus præclarum, Galle beate, tuum.
 B Aspice quæ canimus, expugna corda benignus,
 In rebus cunctis rector adesto tuis.
 Hinc Domino trino læti pangamus et uno,
 Qui nos nunc talem fecit habere patrem.
 Amen.

exstitit. Qui adolescens sub obedientia et regula sancti Columbani, in Scotia [In margine hæc etiam ascripsit Metzlerus: *Didici hoc ex nostrorum hominum traditione, et ex quodam viri non illiterato, qui se id audivisse ait, et legisse (Sicut et parentis utriusque nomen) ex illustri et religiosa domina comitissa Montis sancti, Friderici moderni matre. Et tradit cum Walafrido communis opinio*], spretis nobilibus parentibus, mundique pompis, vitam pauperum elegit, et ut ipse fatetur, humilitati et obedientiæ, perfectæque subjectioni indefesse semper studuit. Venit tandem cum magistro suo et undecim aliis fratribus per Britanniam et Galliam in Germaniam, et aliquandiu sub eodem abbate degens, tandem, abeunte illo in Italiam, febre correptus ipse cum duobus sociis in Germania relinquere: ex qua ut convaluit, in hunc locum, tunc desertum penitus, Deo liberius vacaturus, recessit, quem ubi triduo jejuniis, et multis orationibus consecravit, extractis cellulis et parvo oratorio et olerum horto excitato, cœpit vivere farina, panibus, oleribus et pisciculis, in magna quidem paupertate, sed multa patientia, et spiritus jucunditate, in jugi orationis et vigiliarum instantia, corpus castigans non modo inedia, æstu et frigore, sed et cilicio et ferro. Ambitionem et vanam gloriam adeo caute declinans et fugiens, ut usque ad obitum ejus nullus discipulorum de cilicio et catena, quibus se affligebat etiam usque ad sanguinem, aliquid cognosceret. Servabat enim ea in capsella ex corio facta, quam quocunque iret, in humero ferebat, clavem ad zonam suam suspendens. Auctor primus Vitæ ejus, qui scripsit eam ex ore sanctorum Magni et Theodori, seu, ut ipse ait, Theodeodori. Cum ad principem vocaretur aliquando, clam ad tempus, longius a sua cellula diffugiens, Quid mihi, ait, cum principibus hujus seclî? Et quia in grammaticis, poeticis, et Scripturis sanctis canonicisque bene instructus fuit, multa cum sapientia et auctoritate oblatum sibi episcopatus Constantiensis honorem, quin et abbatæ Luxoviensis dignitatem ex suis humeris excussit sancti Columbani, cujus animam cœlum petentem vidit super montem sancti Notkeri ubi rivus Steinaba per rupis concava descendit, ut ait Eckerlib. Benedictionum, et Rapertus in carmine. Aliquando a principe multo argento et auro donatus, totum quod accepit, antequam ad cellam rediret, in pauperes distribuit. Cumque aliquando non nisi dimidium sextarium farinæ in promptuario haberet, et sex fratres de Luxovio advenissent, ait cellario quidnam esset ipsis in cibum. Et ut omnem substan-

Notker Lantberto fratri salutem.

Quid singula a litteræ in superscriptione significant Cantilenæ, pro ut potui juxta tuam petitionem explanare curavi.

- A. Ut altius elevetur admonet.
- B. Secundum litteras quibus adjungitur, ut bene multum extollatur, vel gravetur, sive teneatur, belgicæ.
- C. Ut cito, vel celeriter dicatur, certificat.
- D. Ut deprimatur, demonstrat.
- E. Ut æqualiter sonetur, eloquitur.
- F. Ut cum fragore seu frendore feriat, effugit.
- G. Ut in gutture gradatim garruletur genuine gratulatur.
- H. Ut tantum in scriptura aspirat, ita et in nota hlipsum habitat.
- I. Jussum vel inferius insinuat, gratitudinemque pro g interdum indicat.
- K. Licet apud Latinos nihil valeat, apud nos tamen Alemannos pro x, græca positum chlenge, clange, clamitat.
- L. Levare, lætatur.
- M. Mediocriter, melodiam, moderari, mendicando, memorat.
- N. Notare, hoc est, noscitare, notificat.

liam, quæ præfata tantum farina fuit, indicavit, ait illi ut inde panem coqueret, potens est enim Deus parere mensam in deserto. Et abiens ad gurgitem ad Australem plagam monasterii, cepit piscem in fluviolo xii pedes longum i et iv latum, superveniensque homo quidam devotionis causa obtulit duos cados vini, etc. Latine, Scotice, et Germanice loqui satis doctus. Unde etiam scripsit orationem et gubernandæ Ecclesiæ formam. Cum Arbonæ in festo sancti Michaelis post sacrum, ut ait Eck., ubi supra, concionem habuisset, febre ibidem corripitur, quæ etiam eum per dies xiv magis ingravescens, plenum sanctitate, innumeris clarum miraculis, inter discipulorum manus in parochiali domo exstinxit, anno suæ ætatis 95, Christi vero 640, incolatus eremi 10, adventus sui in Germaniam 26, vel, quod magis credo, 13 aut 14. Nec enim lego eum diu hæsisse vel Tuconiz, vel Arbonæ; Brigantiz vero per triennium etc. Habes de eo gravissimum, meo judicio,

- A O. Figuram sui in ore cantantis ordinat.
 - P. Pressionem, vel prensionem, prædicat.
 - Q. In significationibus notarum cur quærratur? cum etiam in verbis ad nihil aliud scribatur, nisi ut sequens vim suam amittere quæritur.
 - R. Rectitudinem vel rasuram non abolitionis, sed crispationis rogat.
 - S. Susum vel sursum scandere sibilat.
 - T. Trahere vel tenere debere testatur.
 - V. Licet amissa in sua, veluti valde van Græca, vel Hebræa, velificat.
 - X. Quamvis Latina verba per se inchoet, tamen expectare expetit.
 - Y. Apud Latinos nihil hymnizat.
 - Z. Vero licet et ipsa mere Græca, et ob id haud necessaria Romanis, propter prædictum tamen r litteræ occupationem ad alia requirere. In sua lingua zitise require.
- Ubiunque autem duæ, vel tres, aut pures litteræ ponuntur in uno loco, ex superiore interpretatione, maximeque illa, quam de b dixi, quid sibi velint facile poterit adverti. Salutant te Elinici fratres, monentes te fieri de ratione embolisni triennis, ut absque errore gnarus esse valcas biennis contempto pretio divitiarum Xerxis.

sermonem super Evang. *Ecce nos reliquimus omnia*, qui et homiliæ loco legitur in festivitate ejus sub nomine Bedæ; quod tamen vix videtur admittendum, nisi dicas eum mutatum, mutatis mutandis. Beda tamen nequaquam indignus est sermo. Scribunt de eo Hermannus Contractus, sanctus Notkerus iii libris; Walafrius Strabo, Augiæ abbas, qui est apud Surium, tom. V; Marcellinus, in Vita Swiberti auctor Vitæ sancti Burchardi; Jonas, in sancto Columbano; Beda, noster Pater Theodorus, in sancto Magno; Rapertus item Pater noster et Ekerhardus Junior, lib. Benedictionum, et alibi; Trithemius, Baronius, Joannes Lesæus, lib. iv, in Cheneto rege. Martyrologia pene omnia. Quem merito Alemanni suum apostolum vocant. Hæc Jodocus Metzlerus.

* Quæ sint illæ litteræ Cantilenæ, non capio ego, fideliter tamen descripta sunt, quæcumque sequebantur, præcedit autem, litania *Auxilium. CAN.*

NOTA CANISII.

Ut intelligas quis hic Notkerus, et quæ sint hæc musicæ litteræ, subjungam quæ habet Jodocus Metzlerus: Notkerus vocatus Balbulus, Magni Ottonis nepos, natus in castro Helligow, abbati Grimaldo oblati est juvenulus, voce balbulus, corpore græcili, ad repentina timidulus, solis dæmonibus exceptis, quibus se audacter occulte et manifeste infestantibus opponebat. Auditor studiosus fuit Isonis et Marcelli. In orando, legendo, dicendo creber, et, ut verbo dicam, vere sancti Spiritus fuit vasculum, fuit etiam prophetiæ spiritu plenum. Nescias an magis mireris genus, an doctrinam, an virtutem. Primus adinvenit jubilos seu sequentias modulatas, quas ipse ad distinctionem Metensium appellabat Frigidoræ aut Occidentanæ, quas et Inter sanctissima mysteria toties Ecclesia repetit. Dilucidavit etiam

D amico cuidam litteras alphabeti, quas quibusdam notulis antiphonarum affinxerat Romanus quidam, qui ab Adriano papa ad instantiam Caroli Magni cantor Ecclesiæ Galliarum in cantu ad primævum modum Gregorianum reducebat aberrantes. Qui Romanus postea in monasterio morbo primùm detentus, omnino etiam jubente Carolo ibi hæsit. Præter illa quæ hic edita sunt, scripsit de expositionibus sacræ Scripturæ lib. 1: *Cum prudens*. De musica et symphonia lib. 1; epistolarum ad diversos lib. 1; de Vita sancti Fridolini abb. lib. 1; de Vita sancti Galli, lib. iii, Martyrologium, et alia nonnulla. Ex Græco vertit libros peribermientias Aristotelis. Per litteras sciscitanti abbati Augiensi qualis esset in hac regione terra, respondit:

Dura viris, et dura fide, durissima gleba.

Cum super quibusdam causis imperator nuntium et litteras quadam vice ad eum dedisset, ille, quasi nihil illud reputans, nuntio abituro noluit regi respondere scripto, sed tantum jussit dicere ut quod se videbat nuntius facere, id ipsum etiam imperator faceret. Laborabat autem in horto, et radicem altas inserebat, alias evelebat. Post multa cum carne, mundo et diabolo, qui eum plerumque visibiliter appetebat, patrata certamina, senio, et, ut creditur, litterarum, et lacrymarum studio cæcus effectus, multa sanctitate obiit in monasterio sancti Galli, sepultus in Ecclesia sancti Petri ad sinistram altaris cornu, uti adhuc videre est. Ubi sicut etiam ante obitum suum, innumeris propemodum claruit miraculis, maxime in variis languoribus et doloribus tollendis. Floruit anno 850, et est canonizatus intra monasterii septa et ejus totam ditionem subjectaque Ecclesias omnes, jussu variorum pontificum, maxime vero Leonis X., ab episcopo Constantien- si, imperante Maximiliano Augusto, et abbate sancti Galli

• *Litania Ratperti ad processionem diebus Dominicis ex Ms.*

Ardua spes mundi, solidator et inclyte cœli,
Christe, exaudi nos propitius famulos.
Virgo Dei Genitrix rutilans in honore perennis,
Ora pro famulis, sancta Maria, tuis. XRE.
Angele summe Dei Michael, miserescito nostri,
Adjuvet et Gabriel, atque pius Raphael. Ardua.
Aspice nos omnes, clemens Baptista Joannes;
Petreque, cum Paulo no rege doctilloquo. X.
Cœtus apostolicus sit nobis fautor, et omnis,
Ac patriarcharum, propheticusque chorus, A.
Poscere nunc Stephanum studeamus carmine sum-
[mam].
Ut cum martyribus nos juvet Ipse pius. X.
Inclyte Laurenti qui flammis exuperasti,
Victor ab æthereo nos miserate choro. A.
Splendide Silvester, Gregori ac sancte Magister,
Nos quoque cum sociis ferte juvenda polis. X.
O Benedicte pater monachorum, Galleque frater
Cum reliquis sociis nos refovete polis. X.
Maxime de Suevis, superis conjuncte catervis,
Sancte Othmare, tuum lætifica populum. X.
Inclyte Magne, tuam clemens nunc respice plebem,
Auxilios tutos undique reude tnos. A.
Virgineos flores, Agnes Agathesque ferentes
Auxilio vestris addite nos sociis. X.
Innocuos pueros resonans laude peractos,
Qui modo nos pueros dant resonare melos.
Omnes o sancti, nostræ succurrite vitæ,
Perque crucem sanctam salva nos, Christe redem-
[ptor].
Ira deque tua clemens nos eripe, Christe,
Nos peccatores audi, te Christe, rogamus. X.
Ut pacem nobis dones, te Christe, rogamus.
Crimen ut omne tuis solvas, te Christe, rogamus.
Auræ ut temperiem dones, te Christe, rogamus.
Ut fruges terræ dones, te Christe, rogamus.
Ut populum cunctum salves, te Christe, rogamus.
Ecclesiamque tuam firmes, te Christe, rogamus,
Fili celsithroni, nos audi te te rogamus.

• Si opinari liceret, crederem esse Ratperti Junioris interlocutoris et discipuli I. Notkeri, non autem

A Francisco, anno 1514. Cujus festività translata est ad Dominicam Jubilate, quotannis solemniter celebranda, licet ipse obdormierit 7 Aprilis anno 912. De Notkero Contractus, Eckerardus Junior, in Casibus monasterii et lib. Benedictionum; Trithemius, Stumphius, Vadianus, Bruschius. Codex noster ante annos 800 descriptus, Stephanus Durantes, de Missa.

Vitam sancti Fridolini scripsit Balterus Seckingen- sis, eamque sancto Notkero dedicavit, cujus hoc est initium: *Notkero doctrinæ sophia famosissimo, meritorumque sanctitate beatissimo Balterus infimus servorum Dei servulus.* Fatetur auctor se in monasterio (utar verbis ejus) sancti Galli, juxta pedes Notkeri et cæterorum magistrorum scholasticæ disciplinæ vacasse. Forte hæc una est Vita sancti Fridolini, et non ab ipso Notkero, sed ad Notkerum scripta. Sed veteres et recentiores omnes a Notkero scriptam asserunt, ex quibus etiam Petrus Canisius prologo in eamdem Vitam. Hæc Jodocus Metzlerus.

B Agne Dei Patris, nobis miserere pusillis.
Christe, exaudi nos, o Kyrieleyson Ελευσων.

Ejusdem Ratperti ad Eucharistiam sumendam.

Laudes, omnipotens, ferimus tibi, dona colentes
Corporis immensi, sanguinis atque tui.
Tangimus ecce tuam, rector sanctissime, mensam
Tu licet indignis propitiare tuis. Laud.
Propitiare pius, peccata absolve benignus,
Possit ut invictis appropriare sacris. Corp.
Angelus æthereis sanctus descendit ab astris
Purificans corpus, cor pariterque pius. L.
Hæc medicina potens cœli nos ducat in arces,
Interea terris dans medicamen opis. G.
Quod colimus fragiles Salvator, respice clemens,
Summeque pascentes, protege, pastor oves. L.
C Protege quas recreas, hostis ne proterat illas,
Consolidans dono nos sine fine tuo. C.
Nam sumus indigni, quos omnes munere tali
Tu pietate tua, rex, rege castra tua. L.
Hoc, Pater omnipotens, cum Christo perfice cle-
[mens],
Spiritus atque potens, trinus et unus apex. C.
Versus ad regem suscipiendum, ut arb. tror, ejusdem Ratperti.

Salve, proles regum invictissimorum :
Dominus Deus exercituum memoriale tuum. Salve.
Et tu ad Dominum Deum tuum converteris. Salve.
Misericordiam et judicium custodi. Salve.
Et spera in Domino Deo tuo semper. Salve.
D Salve, proles regum invictissimorum.

Item de Veteri Testamento.

Benedictus eris ingrediens, et benedictus egrediens ;
Benedictus in civitate, et benedictus in agro :
Benedictus fructus ventris tui, et fructus terræ tuæ.
Benedicta horrea, et benedicta cellaria tua.
Dabit Dominus hostes tuos corruentes in conspectu tuo.
Faciatur te Dominus excelsiorem cunctis gentibus.

Notkeri Magistri.

Ave, beati germinis
Invicte rex et inclyte.
Omnis tibi militia

senioris propter stylum. Et hanc litaniam a Nicolao III esse canonizatam ait Metzlerus.

Occurrat ovans cœlitum.
 Intacta Christi genitrix
 Mater honora virginam,
 Chorum pudicum socians,
 Tibi procedat obviam.

Agonothetæ apostoli,
 Victoriosi martyres,
 Omnesque sancti ordines,
 Semper voccat te laudibus
 Nos pro statu parvi loci,
 Reique modo pauperis,
 Lætantes pio Domino
 Occurrimus in omnibus.

Hæc ipsa gaudent tempora,
 Floreque verno germinant
 Adventus omni gaudio,
 Quando venit optatior.

Ratperti ad reginam suscipiendam.

Aurea lux terræ, dominatrix inelyta, salve,
 Quæ domibus nostris nunc benedicta venis.
 Larga maneto tuis semper clarissima servis,
 Qui tibi mente canunt, carmen et ore serunt. *A.*
 Plus hodie solito radiat sol clarus in alto,
 Cumque serena venis nubila cuncta teris. *Q.*
 Floribus arva nitent, quia te nos visere cernunt.
 Fetibus atque solum germinat omne bonum. *A.*
 Gloria magnificæ rutilans celsissima Romæ,
 Atque itatos radiis comis amœna tuis. *Q.*
 At tibi se famulam præbet Germania fidam,
 Sæpino et facie te cupit aspicere. *A.*
 Cæsaris ipsa decens, populorum corrigis actus,
 Pluribus et validis imperitans populis. *Q.*
 Non sine fine vale, miserans et nostra tuere,
 Sit tibi magna salus, laus, honor, atque decus.

Ad descensum fontis.

Rex sanctorum angelorum
 Totum mundum adjuva.

Ora primum tu pro nobis
 Virgo mater germinis;
 Et minister Patris summi,
 Ordines angelici.

Supplicate Christo Regi,
 Cœtus apostolici;
 Supplicetque per magnorum
 Sanguis fusus martyrum
 Sancte Galle, Pater alme,
 Tuo fac oramine,
 Quo dignetur his festis
 Interesse gaudiis.

Implorate, confessores,
 Consonæque virgines,
 Quod donetur magnæ nobis
 Tempus indulgentiæ.

Omnes sancti atque iusti
 Vos precamur cernui,
 Ut purgetur crimen omne
 Vestro sublevamine.

PATROL. LXXXVII.

A

Hujus, Christe rector alme,
 Plebis vota suscipe,
 Qui plasmasti protoplastum
 Ut genus gignentium.

Fac in terra fontis hujus
 Sacratum mysterium,
 Qui profluxit cum cruore
 Sacra Christi corpore.

Mitte sanctum nunc amborum
 Spiritum paraclitum
 In hanc plebem, quam recentem
 Fons baptismi parturit.

Præsta, Patris atque Nati
 Compar, sancte Spiritus,
 Ut te solum semper omni
 Diligamus tempore.

B

Rex sanctorum angelorum
 Totum mundum adjuva.

Notkeri Magistri cognomento Balbuli litania rhythmica.

Votis supplicibus voces super astra feramus,
 Trinus ut et simplex nos regat omnipotens. *Ky.*
 Sancte Pater, adjuva nos. Sancte Fili, adjuva nos.
 Compar his et Spiritus, ungue nos intrinsecus. *Vot.*
 Sancta Virgo virginum, Stella maris, Maria,
 Tu pro nobis Dominum Ora Christum Filium. *Tr.*
 Summæ sedis minister, Quis ut Deus Michael?
 Cum supernis civibus, sit nobis propitius K. L. *Tr.*
 Præco Christi Joannes, Agni Dei ostensor,
 Redemptoris Baptista, Tu nos Deo commenda. *Vo.*
 Sancte Petre, et Paule, cunctique apostoli,
 Vos orate pro vestris Christianis populis. *Trinus.*
 Juncti sancto Stephano, universi martyres,
 Estote auxilio populo catholico. V. I. K.
 Sancte Galle, succurre; sancte Othmare, subveni,
 Nos, cum confessoribus, Adjuvando precibus. *Tr.*
 O martyr Felicitas, Cohors atque virginum,
 Postulate pro nobis majes atis Dominum. *Votis.*
 Omnes sancti Domini, Angeli et homines,
 Vos ad aures divinas, ferte preces sedulas. *Trinus.*
 Ut nobis remisio peccatorum donetur,
 Aeris temperies, Terræque fertilitas. *K.*
 Pacem nobis imploret vestra intercesio,
 Sanitatem corporum, Et perenne gaudium. *K.*
 Ut famem et morbi vim, Amovere dignetur
 Omnipotens Dominus, obtinete precibus. *Votis.*
 Ut sæviens gladius, Et paganus populus,
 Depellatur a nobis, Te rogamus, Domine. *Trinus.*
 Ut pastorem tueri. Nostrum velis et clerum,
 Omnes simul oramus, Jesu CRISTE, audi nos. *K.*
 Ut rex noster Chunradus, Ejus et exercitus,
 Hinc et inde servetur, Oramus CRISTE, audi nos. *Vo.*
 Ut cruore redemptum Pretioso populum
 Conservare digneris, Oramus Christe, audi nos. *Tr.*
 Animas catholicas, In æterna requie
 Confoveri jubeas, Oramus Christe, audi nos. *K.*

Omnes tibi canimus. Universi clamantes,
 Vocibus et cordibus, Oramus Christe, audi nos. *Tr.*
 Oramus Christe, audi nos, Christe, Christe, audi nos.
 Kyrieleyson canimus, Christe eleysen psalli-
 [mus. *Votis.*]

*Hymnus Notkeri Magistri cognomento Balbuli de sancto
 Columbano ad utrasque Vesperas et ad Laudes.*

Nostri sollemnis sæculi
 Refulget dies inclita,
 Quo sacer cælos Columba
 Ascendit ferens trophæa.

Sed priusquam eum mater
 In auras lucis ederet,
 E sinu solem prospexit
 Terris lumen diffundere,
 Qui post alius Hybernia,
 Sacro edoctus dogmate,
 Gallica arva adiens
 Plebi salutem tribuit.

Ægri sanantur ocuis,
 Nautis [*Ms.*, acutis] producit latices,
 Piscis [*Ms.*, priscis] in usum præbetur,
 Cedit imber a segete.

Prolem capit sterilis,
 Ales rapinam reddidit,
 Fanis horrea augmentur.
 Abscissa caro sospes est.

Tactus vidit, nec cernitur,
 Sentit damna ergastulum,
 Fugit pestis ab homine,
 Quam dæmon sævus miserat,

Ligeri scapham retinet,
 Ablato furto prodeunt,
 Cæcusque lumen recipit,
 Præbendo cibus augetur.

In esca salis veniunt,
 Fere jussis obediunt,
 Fides patrari conscia.
 Novit quod possit omnia.

Deo Patri sit gloria
 Ejusque soli Filio,
 Cum Spiritu paraclyto
 Et nunc et in perpetuum.
 Amen.

Versus Hartmanni ad suscipiendum regem.

Suscipe clementem, plebs devotissima, regem,
 Ducque canens Galli tecta sub alta pii.
 Jam benedicte veni, rector dignissime mundi,
 Dextera te Christi, protegat arce poli,
 Actibus in cunctis tibi prospera cuncta superne
 Proveniant, votis et sine fine piis.
 Hoc nos instanter rogitamus pectore fido,
 Hoc petimus omnes, nocte dieque simul.

^a Eiusdem forte, immediate enim in *Ms.* sequitur.

^b Habemus Vitam sancti Magni ex *Ms.* monasterii sancti Magni in pede pontis Ratisp., scriptam a

A Te nobis blandum dederat dilectio Christi,
 Qui nosmet tanta sedulitate foves.
 Insita te nobis bonitas et sancta voluntas
 Ante dedit charum quam quoque visus eras.
 Cernere nunc faciem liceat virtute nitentem,
 Optio quod nostra sæpe cupita fuit.
 Rex Dominus regum factor, rectorque potentum
 Qui de terreno prætulit imperio.
 Illic te confortet semper, virtute polorum,
 Et secum regno lætificet supero.

Waldrammii, decani.

Rex benedicte, veni, visens habitacula Galli
 Othmari tectis accipienda sacris.

Istud sanctorum concludit millia templum,

B Quam subiens ædem, experiaris opem.
 Jugiter ista suis se servet turba sub alis,
 Cujus reliquias hæc tenet aula pius.

Francia te Suevis, o rex, direxit alendis,
 Jam pecuare tuum pasce diu viduum.

Noricus, et Sclavus, Bemanus, Saxo, Turingus,
 Corde manent alacri te dominante sui.

Occiduae gentes, Hispania, Gallia triplex,
 Se studeant propere sub tua sceptrâ dare.

Italiam populus diverso sanguine mistus
 Ad te pigmentis palliolisque ruat.

Ebrus, Thermoodon, Thrax, Nuchni, Bosphorus,
 Sumant maxillis jam tua frena suis. [*Ufene,*

Ilos inter populos nostri miserere, monarcha.
 Commonitus fido a Salomone tuo.

C Fias placatus nobis, maneasque misertus,
 Quos stirps Scottorum suasit in hanc eremum.

Item, de quo supra ^a.

Imperatorum genimen potentum,
 Macte regnorum novitate mira,
 Semper antiquis famulis, benigne
 Rex, miserere.

Franciæ regis miscuere, patres
 Fulgidi regis Karoli, per orbem
 Nec minus matres Alemanna tellus
 Misit honores.

Hic domus, hac est patria creatus
 Fautor Othmarus, Benedictus abba,
 Gallus et Scottis veniens beavit
 Omnia nostra.

D Barbaros terrens, proprios foveto,
 Cum quibus omnes Orientis artes
 Immo quadrati superabis arvi
 Summa vel ima.

Juris et pacis moderator æquus,
 Temperas, fortis vigeas per omne
 Tempus, hic degens, super astra cæli
 Hinc abiturus.

Versus Ratperti de sancto Magno ^b.

Mire cunctorum Deus et creator,

Theodoro socio sancti Galli et sancti Magni, quam Theodorus in sepulchro sancti Magni ad caput deposuit. *Can.*

Mitis et fortis, solidator orbis,
Vota servorum tibi subditorum
Aspice clemens.

Pangimus clarum cupidi triumphum
Mente gaudentes, simul et precantes,
Sanctus ut præsens super astra gaudens
Nos benedicat.

Ille dum vita fruitur caduca,
Lucis æternæ radios videre,
Visibus cordis studuit sub imis
Fretus ab altis.

Nomen hic Magni reserando plebi
Viribus magnis, colitur celebris,
Auctus a Gallo superis amando
Dogmate largo.

Hostis immitem domuit furorem,
Pacis auctorem comitando suavem.
Omnibus sanctæ placidæque vitæ
Normula factus.

Ille post clarum remanens magistrum,
Ejus exemplis inhians beatis,
Turbidum mundi reprobans honorem,
Terrea spreuit.

Spiritu pauper fuit hic minister,
Hinc et in regno micat ille dexter,
Mitis exstabat, tenet atque terram
Viva gerentem.

Fervido plañctu simul hic dolebat
Inde solatum Dominus coronat,
Tristibus spretis, lacrymisque terrens
Perpete regno. Mire.

Famis en justæ, pariter sitisque
Damna perpeasus, fuit hic beatus,
Unde divinis dapibus repletus
Gaudet in astris. Mire.

Hic fuit clemens, miserans misellos.
Ejus et Judex miseretor alius
Tota cum mundi species abibit,
Fine sub uno. Mire.

Corde nam mundo fuit atque puro,
Hinc Deum clare meruit videre,
Filius summi simul et vocari
Pacifer ipse. Mire.

Persecutorem toleravit iste,
Justa dum vovit, Dominoque reddit,
Inde cœlestem merito decorem
Possidet ipse. Mire.

Bis quater summis speciebus ecce
Præditus splendet Pater hic beatus,
Omnibus nobis veniam benignus
Conferat idem. Mire.

Inde nunc cœli rutilans in aula,
Cujus æternæ sociusque turma
Nostra placatus pius et benignus
Crimina tergat.

Præstet hoc nobis Genitor perennis,
Natus et plenus Patrii vigoris,
Spiritus sancti moderante nostros
Lumine sensus. Mire.

A Versus ad solemnem per campos et montes processio-
nem de reliquiis sancti Galli, ibi tum præsentibus,
ex eodem.

Jam fidelis turba fratrum voce dulci sonet,
Hymnum dicat, et serena partiatur dragmata,
Dulce pondus et beatum in lectica deferens.

Scandens et descendens inter montium confinia,
Silvarum scrutando loca, valliumque concava,
Nullus expers ut locus sit istius solaminis.

Jamque cœlum, jamque terra, jamque pontus lau-
| dibus

Plaudat, atque circumquaque vox emissa plebibus,
Auctorem patremque tanti clari luminis.

Hinc exultent astra cœli, lacteusque circulus,

Signa tum bisseña Conditi, et corona nobilis

B Ornatusque totus soli Conditori cognitus.

Nos istorum semper clara secuti munia
Sanctitati tantæ cantu personemus bombico,
Exaudire quod delectet cuncti platen sæculi.

His inceptis adsit alma Felix et Theotocus.
Adsit Petrus, hunc sequatur omnis atque apostolus.
Martyr et confessor atque turba sancta virginum.

Nunc Redemptor et Creator, auctor veri gaudii
Largiatur aptam vobis virtutis fiduciam,
Ut sibi volendo digna, captemus perennia.

Item de quo supra, anonymi, etc.

O rector invictissime,
Regumque sator inclyte,
Nostras preces cum carmine
Intende nunc piissime.

C

Timenda res est denique,
Præsumimus quam tangere,
Artius est horum pangere
Quos tu besti in æthere.

Absterge nostrâ, quæsumus,
Peccata, que commisimus.
Ut sancta membra tangere
Non pœna sit, sed præmium

Adest fides promptissima,
Spondens per ista munia
Nos adjuvari certius,
Discedat hinc jam perfidus:

Nam Spiritus ex sidere
Hæc creditur revisere,
Gaudens honorem provehi
Quandoque reddendum sibi.

D

Nunc Magnus iste nomine,
Majorque Christi munere.
Defendat alma gratia,
Plebis viantis pectora.

Portamus ecce cernui
Pignus decoris splendidi,
Nunc plane nunc per ardua
Ad sedis apta culmina.

Hic civium cœlestium
Lux clara splendet obvia,
Ac compares fidissimii
Junguntur ore nobili.

Illinc Parentis gloriam
Summique Nati gratiam
Cum claritate Spiritus,
Lactis canamus vocibus.
Amen.

** De sancto Magno.*

Carmina nunc festis psallamus rite choreis,
Obvia lætantes pectora qui serimus.
Aurea jam resonent redimitis carmina bombis,
Quæ variis mistim vocibus aura ferat.
Nil sic perspicuum poterit vox clara referre,
Ut decet in tali nunc patris obsequio.
Sic devota tamen pandamus ora, canentes,
Pectore de puro hos referendo sonos.
Istuc jam properans Domini delecte propinqua,
Quo tibi cœdigna corporis aula nitet.
Ihc tibi perpetuis resonent concentibus ædes
Ossibus et sacris semper habetur honos.
Dum læti famuli celebrant hic festa benigni
Laudibus instantes nocte, dieque tuis.
Lætus ob hoc nostros blandusque invisito fines,
Atque pius servis auxiliare tuis.
Jam nunc servitiis famulum consuesce tuorum
Prosper et hunc vultum flecte serene tuum.
Dirige corda pius, et tempora dirige nostra,
Atque dies lætos ducere da famulos.
Ut semper valeant tibimet cantare quieti,
Te quoque cœlesti cernere luce poli.
Sternere supplicibus isthæc modo patria notis,
Et venerans tanti suscipe membra viri.
Ipsam omnigeno decorans cum flore plateas
Lumina perpulchris obvia lampadibus.
Adveniunt pariter, nec non comitantur eundem
Perspicui fratres, angelici proceres.
Qui sancti feretrum circumvolitando beatum
Alarum expansu undique membra tegunt.
Inde Columbanus noster Pater atque magister
Alpibus excursis aëriisque viis.
Ilic aderit præsens, alacrisque ad gaudia tanta
Agmina conjungit consociata simul.
Conjunguntur ei celeres, gressusque fatigant,
Tres quoque Francorum Scotigenæ pariter.
Quos votans fama asciscens ad gaudia tanta,
Unitos tulerit dulcibus obsequiis.
Obvius hinc proprios Gallus producit alumno,
Longius occursum appropere rapido.
Ihunc circum melium numero:is cœtibus auctus
Densatur nitidus cœlicolum populus.
Omnes qui pariter sancta de voce salutat,
Et proprios Lares Magne subire rogat,
Ut quos ætheri retinet communiio templi,
Ilic quoque consortis jungat honoris amor.
Interea Othmari præstabit cura beati,
Mansio constructa quoque parata fiat.
Ut nihil displiceat venietis hospitii ori,
Omnia splendenti sed niteant facie.

** Incerti auctoris, monachi tamen sancti Galli, atque ut videtur, Hartmanni, propter quosdam ejus versus quos habet etiam in Litania Humili prece. CAN.*

A *Invitatio sancti Magni, anonymi*

Miles ad castrum properes novellum,
Pridem et notos repetas locellos,
Posside terram tibi præparatam
Jam comes Galli, sociare illi.

Nos sua, Magne,	Pignora Gallus
Miserat ad te	Teque venire
	Miles.
	Oppido poscit.
Nunc studet ille	Rus laquearque
Te veniente	Comere laute,
	Miles.
Sexus uterque,	Vir mulierque.
Turba pedestris,	Cœtus equestris,
	Miles,
	Vociferantur.
B Te, Pater, ætas	Expedit omnis,
Ut veniendo	Cuncta mederis ;
	Miles.
	Et modulantur.
Quando parata	Ingrediaris
Tecta, Patrone,	Nos famulantes
	Miles.
	Ipsæ tuere.
Ad tua quisquis	Limina stratus
Te sibi poscat	Sancte favere,
	Miles.
	Esto mi certus.
Igne nocivo,	Grandine, morbo,
Dæmonis astu,	Marte, fameque
	Miles.
	Protege cives.
Corporis ut qui	Relliguarum
Condere partem	Promeruerunt,
	Miles ^b
	Javeris illos.

C *Notkeri physici, seu salionis, hymnus de una virgine.*

Hymnum beatæ virginii
Die turba voce supplic,
Laude Deum per omnia,
Ejus canens miracula.
Infirma mundi eligit,
Et magna spernens projicit,
Infirmitatem fortia,
Confortat autem vilia.
Quod nunc in alma virgine,
Palam valemus cernere,
Sexum domans quæ labilem,
Vitam gerobat castibem.
Pomposa mundi gaudia
Contempsit ut ludibria,
Soli Deo se subdidit
Ilique totam tradidit.
Deo Patri sit gloria, etc.

D

Eckerardi decani hymnus de simpliri confessore.

Confessor æterni Patris,
Invictæ miles Filii,
Athleta fortis Spiritus,
Nobis fave poscentibus.
Crucem Christi tu bajulas,
Christoque confixus cruci
Jucunda spernens sæculi
Gaudes modo in regno Dei.

^b Hactenus ex ms. Codice qui fuit sub Conrado Cæsare exaratus. CAN.

Nunc ergo nobis, quæsumus,
Præsens adesto cominus.
Omne impetrando commodum.
Atque perenne gaudium.
Præsta. p.

*in eodem sancto Gallo anonymi hymnus, quotannis in
ejus solenne cantari solitus.*

Vita sanctorum, via, spes, salusque,
Christe, largitor probitatis, atque
Conditor pacis, tibi voce, sensu
Pangimus hymnum.
Cujus est virtus manifesta, totum
Quod pii possunt, quod habent, quod ore,
Corde vel factis cupiunt amoris
Igue flagrantes.

Qui tua sanctum pietate Gallum
Indicem lucis superæ dedisti
Ejus ut docti monitis tenebras
Mente fugemus.

Hic ad exemplum volueris cautoræ
Actibus sese prius excitavit,
Ut quod ingressit vigor instruens
Vita probaret.

Qui potens verbo, venerandus actu,
Semper æternis inhians lucellis,
Plura virtutis meruit supernæ
Signa patrare.

Quæsumus, mundi sator et Redemptor,
Ut sacris ejus meritis tueri,
Hanc velis plebem, tribuens quod optat
Corde benigno.

Temporum pacem, fidei tenorem
Languidis curam, veniamque lapsis,
Omnibus præsta pariter beatæ
Munera vitæ.

Ne quibus tanti dederas patroni
Prima provisor documenta clemens,
Illius sacram patiaris unquam
Defore curam.

Hujus obtentu licet actitari,
Iste ne laudem tibi summe rerum
Rector acceptam, locus expedire
Cesset in ævum,

Hoc Patris proles, Pater hoc benigne.
Spiritus præsens, hoc uterque compar,
Nunc et æterno facias pereuni
Pariter sæclo.

*Notkeri medici doctoris (ut eum antiquissimus De-
functorum Liber appellat) excellentissimi hymnus
de sancto Othmario usitatus etiam.*

Rector æterni metuende sæcli,
Auctor et summæ bonitatis ipse,
Quas tibi laudes ferimus canentes,
Accipe clemens.

Festa quæ sanctis colimus trophæis,
Nomen Othmari resonant beati,
Cujus optandis meritis, Creator,
Illa dicasti.

A Qui patrum normas imitando sacras,
Victor in duro validus duello,
Hostis atrocis rabiem subegit
Belliger audax.

Principum sævas doluit rapinas,
Inde raptorum studiis gravatus,
Martyris palma meruit superna
Scandere regna.

Ejus ad sanctum tumulum patescit
Quanta splendoris teneat perennis
Dona, cum semper capiant ibidem
Lassa vigorem.

Cassus auditu, vacuus loquela,
Captus gressu, capiunt salutis
Munus optatum, relevante sancto
Languida quæque.

B Quæsumus nobis, Dominator orbis,
Hujus obtentu veniam misertus
Confer indignis, tribuens manentis
Gaudia lucis.

Hoc Pater summus, Patris atque Natus,
Præstet et clemens utriusque Flatus.
Trinitas simplex, et ubique Princeps
Omne per ævum.

*Sancti Notkeri cognomento Balbuli ad Luitwardum
abbatem Bobiensem, archicapellanum, Cæsaris pro-
lectorem (ut ipse loquitur) mitissimi Galli, conclusio
dedicatoria prioris partis sacrarum sequentiarum.
Habentur in ipso opere.*

Pars, Luitwarde, prior finitur calle sub arcto,
C. Conmotam cane post terram, miserumque profun-
[dum,

Lætitiæque melos, sanctique decens habitaculum,
Atque oculos Regi meditare intendere cæli:
Jerusalem donec merearis scandere celsam,
Qua deridebis quondam cedentia flagra,
Et cum Rege tuo gaudebis hic crucifixo,
Posterior pratis renitet cum floribus amplis.

De Spiritu sancto, anonymi. (Ex vetustissimi codice.)

Pneumatis æterni, Deus, adsit gratia nobis,
Et tibi devotos sanctificet famulos.

Purgator idem sordium,
Discretor et ornatuum
Cunctis in se fidentibus
Adsit protector sedulus.

D Sanctorum cogitatum
Suasor et meditatuum,
Unguento tuo, quæsumus,
Unge nos, sancte Spiritus.

Spirando suave sensibus
Infunde lumen cœlitus
Possint ut mere splendidum
Contemplari principium.

Ex prisca quondam vatibus,
Diversis ænigmatibus,
Clausurum matris uterum
Promisisti Dei Filium.

Electi gregis principes,
Et bellatores milites,

Donasti forti pectore
Nescio pœnis cedere.
Intende votis supplicum
Tibi nunc spirantium,
Per quem devoti gemitus
Parantur Dei auribus.
Dignatus idem hodie
Terrestria invisere,
Formasti mores hominum
Exemplar ad cœlestium.
Splendor, virtus, laus tibi sit,
Cum Patre par et Filio
Sacrato sancte Spiritus
Per sæculorum sæcula.
Amen.

Carminis de sancto Stephano fragmentum, anonymi. **B**

Primus inquit Stephanus mercedem sanguinis imbre
Afflictus lapidum, Christum tamen ille cruentus
Inter saxa rogat, ne sit lapidatio fraudi
Hostibus, o primæ pie as miranda coronæ!
En vice nos Stephanum Dominum pulsando canamus.

Agite. Jam sequitur cantus soluta oratione.

Fragmentum carminis sancti Tatonis.

Rex pie, Rex regum, regnans, o Christe, per ævum
Qui mare, qui terras, cœli qui sceptrâ gubernas.
Noxia depellens, culparum debita solvens,
Qui super astra sedes, Patri deitate cohæres,
Es quoque sermo Patris summi, reparator et orbis,
Lux, via, vita, salus, spes, pax, sapientia, virtus,
Hic tibi laus resonet, chorus hic in laude resultet.

De Epiphania.

Tribus signis Deo dignis
Dies ista colitur,
Tria signa laude digna
Cœtus hic persequitur,
Stella magos duxit vagos
Ad præsepe Domini.

Congaudentes omnes gentes
Ejus psallant nomini,
Novum mirum, aqua vinum
Factum est ad nuptias,
Mundus credit, Christus dedit
Signorum primitias.

A Joanne in Jordane
Christus baptizatus est,
Unde lotus mundus lotus
Et purificatus est:
Lector, lege. A summo rege
Tibi benedictio
Sit; in cœlis plebs fidelis
Psallat cum tripudio.
Amen.

Fragmentum de Nativitate, anonymi.

Laudemus omnes Dominam,
Qui Virginis per uterum
Parvus in mundum venerat
Mundum regens quem fecerat.

A

Aliud de sancta Agnete.

Inclita virgo Dei sancto conjuncta pudori
Agnes accensa studet obvia lampade Christo,
Virginibus comitata piis, queis carmine laudes
Concinit iste chorus recolens pia facta benigne.

Item tropus alius de Resurrectione Domini.

Exsurge, Rector gentium,
Nec moriturus amplius,
Orbemque totum posside
Tu redemptum sanguine.

Item versus alii vetustissimi de sancto Notkero.

Optans misceri Notkerus in æthere plebi,
Cujus dulcisonis nox nunquam cessat ab hymnis,
Gaudia dum licuit crucis hoc in carmine ludit
Quod Domino laudi, Galloque studebat honori.

Et

Plurima falsidicis indulsit flens inimicis.
Pluraque pandebat fore quæ ventura videbat.

De sancto Joanne evangelista.

Ad Laudem Regis gloriæ
Vox intonet Ecclesiæ,
Propter Joannis merita
Hæc recitans præconia.
Proclamabat saluberrime
Spiritus sancti carmine,
Quam fideles perpendite.
Ut percipiat gaudia
Conditoris perennia :

Et qui continens est, etc.

Quia dulcis est gratia,
Suavis misericordia,
Mirabilis in gloria.

Cibavit illum pane, etc.

Dum supra pectus Domini
Reclumberet altissimi.

Et aqua sapientiæ, etc.

Ut paradisi fluminis
Totum orbem cœlestibus
Irrigaret dogmatibus.

Et firmabitur, etc.

Ut arce Sion positus
Præmineat virtutibus.

Et exalt. illum, etc.

Cum æquo mundi Judice
Throno sedentem gloriæ.

In medio Ecclesiæ, etc.

In voce evangelica,
Ad divina præconia.

Et implevit illum Spiritu, etc.

Ut more volans aquilæ,
Solem spectet Justitiæ.

Et stola gloriæ, etc.

Inter sanctorum agmina
Coronis rutilantiæ,
Et luce solis candida.

C

D

* Metzlerus putat esse Hartmanni, nam in Ms. erant annexi versibus Hartmanni. CAN.

Jucund. et exult.

In angelorum curia
Perfecta immortalia.

Et nomine æterno.

Quem dilexit præ omnibus
Unicus Dei Filius :

Dominus Deus noster.

O Joannes theologe,
O Christe dilectissime,
Tuis lætos solemnibus
Cœli conjunge gaudiis.

Anonymi, de Epiphania exponens lectionem Isaia
Surge illum.

Præsentis festi gaudia,
Æterna luce splendida,
Ita pandit Ecclesia,
Sub Jerusalem specie,
Que jacebat in tenebris
Per primi culpam hominis.

Surge, etc., gloria Domini super te orta est

De virginali utero,
Obumbrante Paraclito,
Teste vatum præconio.

Quia ecce tenebræ operient, etc.

Judæa enim perfida,
Peccatis obscurissima,
Contempsit hæc præsentia,
Cœlestis regi. i lamina.

Super te autem oriatur Deus.

Cujus ortu tripudians
Angelorum symphonia,
Sub noctis canticinio
Dulci deprompsit organo.

Et ambulante, etc.

Stella ducente prævia
Ad pueri cunabula,

A

Ubi lactat puerpera
Ipsam qui regit sæcula.

Leva, etc., venerunt tibi.

Ut fidei per gratiam
Provehantur ad gloriam.

Filii tui de longe, etc.

Supremi Regis gratia,
Qui præconum instantia
Ex quadro mundi latere
Intra sinum Ecclesie
Multos in fide colligit,
Et cœli cives efficit.

Tunc videbis, etc., omnes de Saba venient.

Cum myrrha imputribili
Ad sepulcrum Domini,
Cum Deus et rex gloriæ
Adoratur in homine.

B

Tropus de Nativitate.

Laudemus omnes Dominum,
Qui Virginis per uerum
Parvus in mundum venerat
Mundum regens quem fecerat.

Alius de sancto Joanne evangelista.

Dilectus iste Domini
Joannes est apostolus,
Scriptis cujus et monitis
Pollet decus Ecclesie.

C

Alius de Epiphania Domini.

Forma speciosissimus,
Manuque potentissimus,
Ex Davidis origine
Natus Maria virgine ^a.

^a Hujusmodi, ut appellat, tropos plures dictavit sanctus Tutelo, quos ubique sequuntur gravissimæ

antiphonæ. Utrum vero etiam hos fecerit, mihi incompertum, sed valde credibile est. METZL.

NOTA CANISII.

Quia hos, ut appellant, tropos, Jodocus Metzlerus putat a sancto Tutelone conscriptos, volui, ut sciatur quis Tutelo sit, subjungere quæ Metzlerus habet lib. de illustr. Viris sancti Galli. Beatus Tutelo (qui olim vulgo sancti Gurti), magnorum et nobilium parentum filius, monachus in sancto Gallo professus, pius, poeta, orator, musicus et egregius ἀρχιδιπτικός, in utraque lingua potens, promptus natura, serio et joco festivus, voce clarus, cælatura elegans. Pingebat aliquando in Metensium urbe imaginem D. Virginis, et ecce duo angeli ad ipsum in habitu peregrinorum accedentes eleemosynam petunt, qua accepta ad quemdam clericum sese convertunt, et aiunt illi: Domina illa, quæ illi radios ita ad manum dat, nunquid illius soror est? Stupens clericus (quia ibi consistens nihil simile viderat) appropinquat, et quod antea latuit, etiam illi sit palam. Unde se cohibere non valens, ait illi: Benedictus tu, Domine pater, qui tali magistra uteris ad opera? Qui cum ipsos quid dicerent nescire assereret, vehementer in illos inrectus, ne cui tale quid dicerent interminatus est.

Statim peregrini transeuntes disparuerunt. In crastinum autem cum gloriam talem de se plures audiret dicitare, occulte sese subtrahens, cessit a medio, neque jam ultra in urbe illa operari volebat. In plantie autem ipsa aurea cum reliquisset circulum vacuum, nescio ejus arte tales cælati sunt apices:

Hoc panthema pia cælaverat ipsa Maria.

Et imaginem quidem quasi sedentem cunctis aspicientibus mire venerandam tanquam vivam reliquit. In reditu autem ad monasterium (dicebant Patres) cum signum ad missam daretur, in villa quadam per invocationem sancti Galli dæmonium eum ejecisse et quodam in templo illo tunc debacchante. Erat in publico lætus, in angulis lacrymosus, in choro strenuus, honoris Dei zelator mirus. Et cum egregie doctus esset, edidit non pauca ingenii et devotionis suæ monumenta, ex quibus sunt multi tropi et melodie, quarum etiam in sancta missa usus est. Cujus universa dictata singularis et agnoscibilis melodie sunt, quia per psalterium, seu per rotam (textus habet rot-

tham); qua potentior ipse erat, neumata inventa dulciora sunt, ut apparet in *Hodie canendus est et Omnium virtutum gemmis*, quos quidem tropos Carolo regi ad offerendum, quem ipse rex fecerat, obtulit canendos. Qui rex etiam, *Viri Galilæi* cum dictasset, Tuteloni versus addere injunxit, ut aiunt: *Quoniam Dominus Jesus cum esset, Omnipotens genitor, fons, et origo, cum sequentibus, etc.*, hos enim solos libuit adferre, ut, si musicus sis, quam dispar ejus melodia sit videas. Mortuus est opinione omnium sanctus, et sepultus in monasterio in sacello sanctæ Catharinæ (quod sicut et cœmeterium illi contiguum

sancti Tutelonis vocatur) ad dextrum altaris cornu, hoc epitaphio:

Virginis almissæ pictor egregius Tutelo
 Excelleus meritis et pietate potens.
 Nemo tristis abit, qui te colit et veneratur,
 Fers cunctis placidam quippe salutis opem.

Floruit tempore sancti Nolkeri, sub Bernardo abbate, circa an. 883. De eo Eckerhardus in libris *Casuum et Benedictionum*, et *Codex* ante mille annos scriptus, Bruschius, etc. Hæc Metzlerus, qui diligentissime ex antiquis monumentis collegit.

Versus in Nativitate Domini canendi in processionibus *.

Salve mirificum semper Deus in Patre Verbum,
 Mirifico partu jam caro carne satum.

Venisti mundo nova gaudia condere mœsto,
 Et tibi devotis pandere te famulis.

Resultent nostræ tibi, virgo Maria, cancœnæ,
 Quæ rutilas tantis congrua mysteriis.

Sed quæ condignas tibi lingua rependere laudes
 Prævalet, extollens nomen ad astra tuum?

Quem non immensi capiat teres orbita mundi
 In tua se clausit viscera factus homo.

Cœlum curvavit, sola fecit, et æquora fudit,
 Principii princeps, omnæ quod est faciens.

Excrescens lapis, absque manu de monte revulsus,
 Mole sui mundum obtinuit stupidum;

Semper cum Patre cui virtus et gloria, sorsque,
 Æquiparet regnum, splendor, honor, solium.

In Epiphania.

Salve mirificum semper Deus in Patre Verbum,
 Mirifico partu jam caro carne satum.

Hoc fecundata, et coelesti ex rore rigata
 Florueras, Virgo tu benedicta Deo,

Natum lactasti, gremioque fovendo locasti,
 Qui tuus est Auctor, Filius et Dominus.

Ingratus noxæ timor omnis abesto veterinæ.
 Jam novitas regnat, totus et orbis ovat.

En Jesse virgam decorat bene flo-culus illam,
 Vatis ut exorsa præcœnuere sacra.

Excrescens lapis, absque manu de monte revulsus
 Mole sui mundum obtinuit stupidum.

En nunc implevit quod ea per enigmata clausit,
 Pandit et obscura gratia luce nova.

Testatur fidiis gregis angelus ipse magistris,
 Ejus in exortu luce micans rutilus.

Hoc festum tanti canit hæc pia vota diei,
 Stella recens clamat, aucta dies jubilat.

Semper cum Patre cui virtus, etc., ut supra.

In festivitate sancti Othmari,

Versus ad processionem.

Festum sacratum psallimus,
 Christo canentes laudibus,
 Qui dat coronam testibus,
 Nobis det indulgentiam.

Othmarus abbas vocibus
 Orandus est concordibus,
 Quem Factor ipse cœlitus
 Donavit hic virtutibus.

Ilunc esse patrem patriæ

Lætetur omnis Suevia,
 Hic natus, hos nunc confovet,
 Placando Christum plebibus.

Hic dona sancti Spiritus,
 Accepit annis parvulus,
 Ipsum Datorem munerum
 Spargens in oras exteras.

Omnes gradus hic presbyter
 Orant beatis moribus,
 Patri preces cœlestium
 Votis litando munerum.

Communis hic vitæ sator
 Seu magnus exstat conditor,
 Prælatum abbas incolis
 Hujus loci prænobilis.

Fit pauper hic pro paupere,
 Cunctos egentes confovens,
 Dum quod dat eis parvulis,
 Christum respectat fratribus.

Nunc gaudet in regno Dei
 Functus corona præmii,
 Quam Christus illi reddidit,
 Pro quo labores sustulit.

Gallo Patri laudabili
 Othmarus abbas jungitur,
 Istum locum qui jugiter
 Tutentur, et nos supplices.

Virtute semet vivere
 Demonstrat hic credentibus,
 Certum fide quod querimus,
 Præbet Pater sanctissimus.

Effunde voces, plebs Dei,
 Commissa delle noxia,
 Astat rogator gratiæ,
 Reddens æquum quod suscipit.

Absolve, clementissime,
 Nexu ligatos criminis,
 Delens malum quod respuis,
 Addens bonum quod respicis.

Laus sempiterno sit Patri
 Nec non perenni Filio,
 Sanctoque sit Spiramine,
 Per sæculorum sæcula.

In susceptione principis.

Salve, festa dies, laudabilis, atque beata,
 Qua Deus in servum vidit ab arce suum,

Ecce redit princeps laudandus carmine nostro,

* Habentur, sicut et tres sequentes hymni in vetustissimo Ms. ebore, argento, gemmis auro olim vestito.

Gaudia sint, populo quod redit ille suo.
 Vive diu, princeps, post plurima praelia victor,
 Undique deficiunt qui tua damna petunt.
 Virtutum meritis tua vita refulget honesta,
 Hinc te laude frui fecit in orbe Deus.
 Infusa sincerum nunc ornet splendida vultum,
 Omnipotens tibi laus detur ab inde Deus.
 Ividia magna correptus praesul iniquus
 Invidet, atque gemit quod Deus ista facit.
 Nequiter intendens te vincere vincitur ille,
 Concidit in foveam cujus et auctor erat.
 Defensus meritis, in honore manens, bone princeps,
 Digne susciperis; psallimus inde tibi:
 Nos tuus adventus condigne psallere cogit,
 Sit tibi pax requies, sit benedicta dies.

D. P. N. Notkeri Balbuli hymnus de omnibus sanctis cantari solitus.

Omnes superni ordines,
 Quibus dicatur hic dies,
 Mil e milleni millies,
 Vestros audite supplices.
 Primum virtutes igneae
 Mox repletæ scientiæ
 Exin juvate nos prece
 Sessiones Dominicæ.
 Dum nos cœlestes Domini,
 Et principes praevalidi,
 Potentiaque præditi
 Estote nobis placidi.
 Hinc ditati virtutibus,
 Vosque tremendi nutibus
 Et fulgurosi vultibus,
 Christi favete plebibus.
 Omnes quos Dei gratia
 Ab hac exemit patria,
 Bona donate cœlestia,
 Nostra laxate crimina.
 Tu pater adsis Abraham,
 Claram regens prosapiam,
 Cum ipsis necessariam
 Nobis precando veniam.
 Tandem David hymnidicis
 Hinc inde stipatus choris,
 Pulcher coronis regiis,
 Cunctis succurre miseris.
 Sacer adesto flagitans
 Coetus futura prædicans,
 Nobis Christum concilians,
 In cœlo jam tripudians.
 Omnes, dum carnem induit,
 Quos Christus præsens docuit,
 Quosque absentes imbuit
 Erigite, qui corrui.
 Nostros, supreme claviger
 Et novæ pacis legifer,
 Omnisque Christi crucifer,
 Actus mundate pariter.

A

Nunc omne sacerdotium,
 Primus ordo pontificum,
 Clerum ducendo subditum,
 Fletum tergite supplicum.
 Nunc posce nobis, Genitrix
 Omnisque carnis domitrix,
 Ut cesset culpa perditrix,
 Et plebs salvatur debetrix.
 Istud concede, Trinitas,
 Et indivisa unitas,
 Domus regens pacificas
 Ætates per interninas.
 Amen.

B

Sequentis lamentationis prosam fecit sanctus Notkerus, cum in Martinsdobel pons in loco præcipiti et periculosissimo ædificaretur. Quis autem versus adjecerit, nescio. Descripsi ex vetustissimo Codice, ubi cum modernis etiam notis est:

« Media vita in morte sumus, quem quærimus adiutorem, nisi te, Domine, qui pro peccatis nostris iuste irasceris. »

Ach.

Homo perpende fragilis,
 Mortalis, et iustabilis,
 Quod vitare non poteris
 Mortem, quocunque ieris.
 Aufert te, sæpissime,
 Dum vivis libentissime.
 Sancte Deus.

Væ.

C

Calamitas inedia,
 Vermis fremit invidia,
 Dum audit fentem animam
 Mortalis essem utinam!
 Nec Christi fortis gladius,
 Transiret, et non alius,
 Sancte fortis.
 Heu.

Nil valet nobilitas,
 Neque sedis sublimitas,
 Nil generis potentia,
 Nil rerum affluentia,
 Plus pura conscientia
 Valet mundi scientia.

D Sancte et misericors Salvator, amaræ morti ne tradas nos.

Ejusdem sancti Notkeri ad Ruodbertum ^a episcopum Met. hymni iv, de vita et miraculis proto-martyris Stephani.

Hymnus primus de passione sancti Stephani.

Primus ex septem niveis columbis,
 A Petro electus Stephanus beato,
 Voce, vel signis, medicans misellis,
 Claret in orbe.
 Qui, brevi verbo replicans priora,
 Persecutores docuit plorum
 Esse Judæos, probitate cassos,
 Fellesque plenos.

* Ipse Notkerus, in Vita sancti Galli refert hosce versus ad Ruopertum episcopum Metensem scripsisse.

Nec novum quid, quod Boninum furore
Impio ad pœnam crucis impulerunt,
Cum prophetas vel patriarchas ante
Sæpe necarent.

Hisce prædictis, licet angelorum
Ille fugeret facie decorus,
Ceu profanum mœnibus urbis altæ
Ejciebant.

Saulis et curæ induvia calentes,
Ne piger forsân furor impeditus
Tardius sanctum lacerare posset,
Deposuerunt.

Tum volant crebri lapides per auras,
Instar ingentis pluvix, vel inbris,
Vineæ tandem sterili negandi
Atque nocivæ.

Sed tamen sanctus pietate plenus,
Persecutori veniam precatur,
Atque pro crudis lapidum pruinis
Pronus adorat.

Huic ad exemplum Deus ipse magnum
Præstitit sese conspicendum omni
Sæculo, quod profuerit caput ceu
Martyriorum.

Nam quis audebit dubitare sese
Quod Deus servet pius in futurum?
Quando in præsentî Stephano vivendum
Præbuit ipse.

Ut fides jam conspicue viret,
Visibus nostris propiante cœlo,
Vel Patri summi renitente N. to
Æthere aperto.

Spiritu vel se manifeste in ipso
Esse prodente Stephano benigno,
Talibus signis, piâ Trinitatis
Queis bona fulgent.

*Hymnus secundus de Revelatione a corporis sancti
Stephani.*

Cum sanctus Stephanus necis petrinæ
Multatus misera jacere sorte
Compertus fuerit Gamalibeli,
Compassus bonus ille non nocenti
Poscit Christicolas, pia rapina,
Corpus tollere dentibus leonum:
Vectum navicula quod ipse sumit,
Conditumque suo locat sepulcro.
Et planctu nimio sequente curat.
Ac post mortuus, applicatur illi,
Et, post tempora valde multa, sese
Pandit presbytero, docetque clausa.
Joanni studet ille punitiario
Sancto pontifici, simulque sumptum
Thesaurum Stephani, Salem ferebant.
Et tunc arida vel siti perusta^b,
Accipit pluvias diu negatas

^a De hac revelatione vide sanctum Augustinum, t. VII Editionis Benedictinorum; ibi epistola Aviti et narratio Luciani, quam in Historiæ Judaicæ l. vi

A Tellus, germînibus soli creandis.
Hoc testem decuit honore tolli,
Inbrem qui lapidum ferebat ultro,
Orans impia ne manus periret.

Hymnus tertius de miraculis ipsius in Africa ostensis.

Ut revelatus Stephanus micabat,
Ossa sunt ejus celeri meatu
Africanorum steriles per agros
Sparsa serendo.

Flore de quorum mulier medelam,
Dante præjecto, meruit, patrono,
Quos tenebratis oculis propinquans
Vidit aperte.

B Messe de quorum medicina dulcis
Devehenti pontifici fidelis
Venit, ut nec fistula parva morbo
Jam superesset.

Calculi morbus nimius, vetusque,
Quo laborans Eucherius periret,
Temperamento Stephani salubri
Est superatus.

Mortis et sævum Stephanus periculum,
Veste signata ac citius remissa,
Sic repressit, presbyter ut salutis
Munera ferret.

Martialis to, Stephani gemella
Sospitans cura, Dominum potentem
Mortis et vitæ celebrare Christum
Sæpe solebas.

C Stephanus quondam podagram removit
Cœlitus latis precibus benignis,
Vel revelato medicantis usu
Blandus iatri.

Cum puer, sueto pueris jocandi
More, inter boves tereret terendus;
Stephano, extinctus, medicante.....
Est revocatus.

Nonna desperans reditum de arcta
Fauce mortis, mox tunicam beato
Stephano misit, moritur, reducta
Qua reviviscit.

Bassus et Natam simili medela
Mortuam vitæ revocavit, horis
Stephanum multis lacrymis misertum
Mollificando.

D Filius parvus, patris omne charum,
Spiritus jam jam vacuus calore,
Stephani tactus oleo revixit,
Morte remota.

Hæc Eleusinus Stephanum patrare
Audiens, natum exanimem ferebat,
Martyrum Christi manibus medendum,
Estque ita factum.

Æmulans Petronia quem misella
Stephanum pernix medicum requirit,

subjectimus eximini. BASN.

^b Mate omnino; nam circa Decembris finem contigit illa revelatio, si vera fuit. BASN.

Fascino spreto, celerique gaudet
Munere sancti.

Paulus autem, Palladia sorore
Se per orbem comitante latum,
Stephani nutu caruit tremore,
Ac soror ipsa.

Hæc mihi doctor retulit peritus,
Nomen Augusti merito retentans,
Quæ tibi, præsul venerande Ruodbrecht,
Pango tenenda.

Hymnus quartus de miraculis ejusdem in Cismarinis partibus.

Ordinis sacri Stephanus honore
Partibus pollens Asiæ calentis
Finibus tandem occiduis rosarum
Sparsit odores.

Quos volens plantare beatus ille
Verna Martini, vigilans in omni,
De sera accepit sine clave, clausit
Et sine clave.

Qui precabatur veniam imperitis
Ipse protervum Stephanus repressit,
Innocentes eripiens, reumque
Fune retentans.

In mari navis propior periculis,
Per manum sancti Stephani retracta,
Aut canes Scyllæ, aut rabiem Charybdis
Salva refugit.

Est Domus Mettis Stephani cruore
Sacra, quæ tantum superesse diris
Posset Hunnorum gladiis, rogisque,
Sanguine tuta.

Quæ ducis natam, medicante Gallo
Liberatam dæmonio furentem,
Regis abstraxit thalamis, aurore
Integritatis.

Fontis Hispani, Stephano patrante,
Munus æternum memorare dignum
Qui lavandis profuit, atque lotis
Conditur alte;

Sed cum hoc baptisterium caballis
Improbis quidam stabulum pararet,
Febre correptus, Dominum præibat
Ad Phlegethonta,

Hoc loco, cultrum socio retraxit
Impudens quidam, vacua sed urna
Mente præcepta, Stephano jubente,
Reddidit ipsum.

Æger et a balbus, vitis que plenus,
Ore polluto Stephani triumphos
Notker indignus cecini, volente
Præsule sancto,

Flore Ruodbertus juvenale qui nunc
Cor senum gestans, senium beatus,
Ac piis plenus meritis, videre
Promeretur.

Pacis optata potiens quiete,
Hostis et diros superans mucrones,

• Hinc patet cur dictus sit Notkerus Balbulus,

A Quem furis misit Boreas fugandum
Vel perimendum

Ut Trinitatis beneficta virtus
Ædibus cunctis, domibusque cunctis
Per preces magni Stephani, canatur
Tempore longo.

Amen.

Si mihi non vultis, oculis vel credite vestris.
Vos saltem binas piscis mihi mittite spinas.

Hos deos versus Notkerus Balbulus fratribus Augustensibus misit cum fungo quem moruch vocant, in angulo apud sanctum Gallum fratrum pyralis in hieme nasci aliquot annis solito loco suo. Nam cum ipsi assererent, in Alaspach, piscem quem alandt vocant, XII palmorum apprehensum, loco nomen dedisse, ipse incredibilia narrantibus, etiam de sancti Galli loco se mira esse dicturum respondit, et supra dicti nominis fungum in Januario ibi natum se vidisse subjunxit, idque ipsum illico quasi falso locutum pari voce dicentes, derisui habebant; sed ipse, ut dixi, sequenti anno itidem ibi fungo nato, dicta factis compensavit, fungum mittens, et scribens hoc distichon. Causa tamen erat fungi in angulo illo pyralis nasci soliti, quod aquæductus eundem angulum præterfluens rigavit, et calor pyralis non nimis, sed caumate aquæ mistus, illum attingit, et motu tali parere præcoquam terram fecit, et fungos quidem primitus, nox etiam et gramina quardam virentia, stiris et glaciæ foris sub divo rigentibus, vapor idem produxit.

[Hic Canisius habet carmen ad Fedoliam quod dedimus inter S. Columbanum carmina, ubi videtur tom. LXXX, col. 291.]

Fragmentum Carminis sancti Notkeri de psalmodia.

Si quod voce sonat, fido mens pectore promat,
Nec clamor Domini tantum sublimis ad aures,
Quantum vox humilis placido de corde propinquat.

Memoriale Reverendissimi D. Bernardi abbatis Secundi, quod dedit cuidam fratri monacho, cum eum ad Academiam litterarum causa mitteret.

1. Studium pietatis sit tibi in primis commendatum.
2. Cognitionem Domini Creatoris, Redemptoris ac Servatoris tui ferventissimo animi desiderio appetas; adque eam pervenire, quantum fieri potest, contendas.
3. Te ipsum, atque defectus tuos, et malas consuetudines, diligenter inspicias, et cognoscas, emendareque omni conatu studeas.
4. Habitum virtutis fac acquiras.
5. Difficultates occurrentes viriliter vincas.
6. In bonas litteras sedulo incumbas.
7. A nimio vino, tanquam a veneno, abstineas.
8. Vocationem ac professionem tuam sæpius in animum tuum revoces.
9. Verum amorem monasticæ disciplinæ imbibas, statumque tuum fac optime cognoscas.

10. Omni obedientia p. tribus ac magistris tibi A
propositis te subiecias.

11. Inobedientium ac irreligiosorum consuetudi-
nem devites.

12. Tempus bene coloces, ac com fenore re-
deas.

Ora pro me.

F. Bernardus abbas sancti Galli.

TABULA INSIGNIORUM MANSIONUM MONASTERII S. GALLI.

Exstat in bibliotheca sancti Galli tabula quedam seu (ut vocant) mappa sane perquam vetusta et ampla ex pergamento ad Gozbertum abbatem, in qua etiam totum monasterium secundum omnes etiam abjectissimas officinas descriptum est (ut quidem ego colligo ex eo quod ibi appellat auctor Gozbertum filium) ab episcopo aliquo, qui fuerit vel monachus, vel studiosus, vel certe alias demum

monachis et monasterio familiaris. Eam tabulam index quidam centenarius nominat sancti Martini monasterii, ex eo, ut arbitror, quod aliquid in tergo ipsius est de Vita sancti Martini, sed ut ex titulis et situ manifestum est, non est, nisi sancti Galli monasterii, prout fuit Gozberti temporibus monasterium. Epigraphen insigniorum mansionum sic auctor carminice dicit. CAN.

Oratorium sancti Petri.

Hic Petrus Ecclesie pastor sortitur honorem.

Disticha vii columnarum que sunt in externa parte summi templi, quod habet in longum pedes cc, in latum autem xl, quoad interiorum sui partem.

Bissenos metire pedes interque columnas,

Ordine quas isto constituisse deest.

Baptisterium.

Ecce renascentes suscepat Christus alumnos.

Altare sancti Salvatoris. Ad crucem.

Cruz, via, vita, salus, miserique redemptio mundi.

Analogium Evangelii.

Hic evangelicæ recitatur lectio pacis.

Super cryptam sancti Columbani, altare sanctorum Marie et Galli, in quo est sarcophagus sancti Galli.

Sancta super Cryptam sanctorum structa nitebunt.

A tergo altaris.

Hic Pauli dignos magni celebramus honores.

Extra templum, ad Orientem.

Hic sed domatibus paradisi plana parantur.

Ad Occidentem.

Hic paradisi acum sed tecto sternito campum.

In eodem campo disticha vii columnarum.

Has interque pedes denos moderare columnas.

Murus.

Hic muro tectum impositum patet, atque columnis.

Porta in muro.

Adveniens aditum populus hic cunctus habebit.

Via ad portam.

Omnibus ad sacrum turbis patet hæc via templum,

Quo sua vota ferant. Unde bilares redeant.

Ad Australem viam plagam, ovile.

Hic caulas ovium caute dispone tuarum.

Cubile famulorum.

Hic requiem inveniatur famulorum turba vicissim.

Stabulum caprarum.

Ista domus cunctas nutrit, servatque capellas.

Stabulum suum.

Iste suus locus enutrit, custodit adultas

Stabulum armentorum.

Hic armenta tibi læ fetus atque ministrant.

^a Innuit dormitorium subtus habens calefactoria ejusdem domus. CAN.

B

Domus equarum.

Hic fetus servabis equas, tenerosque caballos.

Hæc omnia eis viana versus Orientem magis.

Ibidem porta famulorum ad templum.

Tota monasterio famulantium hic turba subintrat.

Stabulum bovum et equorum.

Ista bubus conservandis domus atque caballis.

Hospitium peregrinorum et pauperum.

Hic peregrinorum lætatur turba recepta.

Alibi.

Hic habeat fratrum semper sua vota minister.

Porticus ante ecclesiam.

Hic pia consilium pertractet turba salubre.

Porticus ^a ante domum stet hæc fornace calentem.

Hæc domui adsistit cunctis qua porgitur esca.

C Hic porticini potus quoque cella cohæret.

Officinæ variorum artificum ad meridiem.

Hæc sub se teneat fratrum qui tegmina curat.

Ibidem horreum.

Frugibus hic instat cunctis labor excutiendis.

Item adhuc ad Orientem magis.

Cæmeterium fratrum, cujus in mediotulio cruz.

Inter ligna soli hæc semper sanctissima cruz est,

In qua perpetuæ ponia salutis olent.

Hanc circum lateant defuncta cadavera fratrum,

Qua radiante iterum regna Poli accipiunt.

Paulo exterius, hortus.

Hic plantata olerum pulchre nascentia vernant.

D Pullorum hic cura, et perpes nutritio constat.

Anserum locus.

Anseribus locus hic pariter manet aptus alendis.

Ad orientem templi. Domus novitiorum.

Hoc claustro oblatis pulsantibus associantur.

Ibidem versus meridiem, infirmarium ^b.

Fratribus infirmis pariter locus iste paratur.

Est etiam aliud infirmarium pro valde ægrotis, alibi, ad lævam templi seu Aquilonem.

Sæpius in gyrum ductis sic cingitur aula.

Ibi est bibliotheca. Mansio abbatis, etc., schola cum horto suo.

Hæc quoque septa præmunt discentis vota juventæ.

^b Aliis valetudinarium; Scriver. not. ms. in CAN.